



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia I. De his quæ generationi præunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



CONTRORSIÆ  
DE ORTV. ET INTERITV,  
SIVE  
DE GENERATIONE,  
ET CORRVPTIONE.

Auctore P. FRANCISCO DE OVIÉDO, è Societate IESV.

PROOEMIUM.

**E**GRIMVS in Controuersijs Physicis de corpore completo in communi, & Controuersia præcedenti de corpore incorruptibili. Nunc Philosophi vestigia sequentes gradum facimus ad disputationem de corpore generabili, & corruptibili. Obiectum librorum, quos Aristoteles inscripsit de ortu, & interitu est corpus generabile, & corruptibile: quia tamen omnia quæ specialiter illi conueniunt per ordinem ad generationem, & corruptionem sunt explicanda, idè ferè tota materia horum librorum est generatio, & corruptio, & de ortu, & interitu inscribuntur, siue de generatione, & corruptione. Præcipue instituendus est sermo de generatione substantiali quia tamen hanc semper accidentalis generatio, seu alteratio comitatur: ideo utrique communis est in præsentiarum disputatione.

CONTRORSIA PRIMA.

*De his, quæ generationi præeunt.*

**G**ENERATIONI substantiali alterationes deseruiunt, quæ materiam disponunt, & illam sternunt, ut valeat formam substantialem recipere. Ex his dispositionibus præcipua est quantitas, quam comitantur in ordine ad materiam disponendam quatuor primæ qualitates, illa. umque attemperata commixtio. De his scire oportet, cui subiecto inhæreant, à quo effectiuo principio dependeant, quomodo in formam genitam, seu in totum per generationem productum influant, quæ sint communia genito, & corrupto, quæve simul cum composito deficient: quæ omnia præsens Controuersia decider.

PUNCTVM PRIMVM.

*Quid sit subiectum quantitatis.*

**I** Difficultas hæc supponit dari quantitatem distinctam à substantia, in qua suppositione procedit, quidquid  
Franc. de Oviédo, Philosoph. Tom. 1.

sit de subiecto hypothesis, licet enim plures negent dari quantitatem distinctam, hi tenentur definire, quod subiectum haberet, si daretur, seu quod illi debeant tribuere auctores, qui illam superadditam admittunt.

Albert. Durand. Capr. Caietan. Ferrar. Soncin. & Scotus apud P. Soar. in Metaph. disp. 14. sect. 3. n. 6. quos recentes Thomistæ sequuntur, pugnacissime defendunt quantitatem subiectari in toto composito. Consentunt ex nostris P. Vasquez 3. part. tom. 2. disput. 129. num. 30. P. Rub. lib. 1. de generat. cap. 4. tract. 3. quæst. 7.

Quantitatem non recipi in toto composito, sed in materia prima docuit Philosophus, & Simplicius qui sententiam hanc tribuit Platoni. Greg. Aur. Mar. & alij ex antiquis, quos refert, & sequitur Pater Soar supra num. 10. accedunt Patres Contin. 1. de Generat. cap. 4. quæst. 4. art. 1. P. Hurtadus in Physica disput. 5. sect. 6. §. 58. P. Ariaga in Physica disput. 5. sectione 2. subsect. 2. & ferè omnes recentes. Hanc sententiam ut veriorē longè probabiliorem amplector.

Uno eodemque fundamento Patroni oppositarum sententiarum, quos retuli propriam sententiam probare intendunt. Arguunt Thomistæ: si quantitas subiectaretur

Kk 3 in



in materia prima; eadem quantitas, & alia accidentia communia essent genito, & corrupto. Consequens esse falsum docet Philosophus: ergo & antecedens falsum est. Patroni oppositæ sententiæ sic arguunt: si quantitas subiectaretur in toto composito, destructo composito perirent omnia accidentia, quæ illi inhærebant: ergo nullum accidens commune esset genito, & corrupto: consequens est contra manifestam experientiam, qua videmus eadem accidentia in cadauere, quæ in homine præcesserunt: ergo antecedens est falsum. Ostendam puncto venturo ubi de aliis accidentibus disputabo, hoc argumentum nulli sententiæ favere, quia in generatione non fit resolutio vique ad materiam primam, ut intendunt Thomistæ, neque infertur faciendam esse, ex eo quod accidentia in toto composito subiectarentur, quod intendunt auctores oppositæ sententiæ, & ita huic rationi modo superfedeo.

5 Probat hanc conclusionem Pater Soar suprà num. 15. & Pater Hurtadus §. 61. hac ratione. Si quantitas subiectaretur in toto composito subiectaretur inadæquatè in forma, sed quantitas non potest subiectari neque inadæquatè in forma hominis: ergo non potest subiectari in homine, & ex homine ad alia composita à paritate argumentum desumunt. Probat minorem, videlicet quantitatem non posse subiectari neque inadæquatè in anima rationali: quantitas non potest communicare suum effectum formalem animæ rationali: ergo non potest recipi in illa, quia implicat formam recipi in aliquo subiecto, cui non præstet suum effectum formalem, & ita implicat formam recipi in subiecto, cui non possit præstare suum effectum. Antecedens evidens videtur, quia effectus formalis quantitatis est extendere subiectum, & illud cum partibus extra partes constituere, sed anima rationalis non potest extendi, neque partes extra partes habere: ergo incapax est effectus formalis præstandi à quantitate. Neque hoc argumentum intentum in homine conuincit, neque ex homine rectè à paritate videtur desumi argumentum ad alia composita, etiam si argumentum demonstraret quantitatem non posse recipi in homine, quia inadæquatè in illius forma vi potest spirituali recipi nequit. Hoc ultimum primò sic suadeo. Do quantitatem inadæquatè non posse recipi in forma hominis, & ita neque in toto composito, & nego sequi ex hoc non posse recipi inadæquatè in forma equi, adæquatè in equo. Disparitatem reddo manifestam ipsa ratione, qua argumentantur Soar, & Hurtadus. Forma hominis spiritalis est, & ut ipsi aiunt incapax recipiendi effectum formalem à quantitate præstandum, ex quo fit non posse quantitatem recipi in illa, & consequenter neque in toto composito, quia implicat quantitatem recipi in toto composito, & non recipi in forma, per quam compositum constituitur; forma verò equi materialis est, & capax recipiendi effectum formalem præstandum à quantitate, & ipsam quantitatem, & ita non reddit compositum incapax recipiendi quantitatem, sed potius capax, quia ipsa ex se capacitatem habet illam recipiendi, quæ simul cum materia, aliàs capaci recipiendi quantitatem, illam recipiet, & consequenter totum compositum, quod non distinguitur à suis partibus. Itaque posset quisquam dicere materiam, & formam equi habere capacitatem ad recipiendam quantitatem, & hanc de facto in utraque adæquatè recipi, & inadæquatè in quacumque illarum, etiam si materia prima ex se virtutem habeat ad quantitatem adæquatè recipiendam, quia quando adiunguntur duæ causæ quarum quælibet potest adæquatè effectum producere, utriusque influxus attemperatur, & ab utraque indiuisibiliter adæquatè prouenit effectus, & inadæquatè ab illarum qualibet, in homine verò aliter rem contingere, quia cum illius forma incapax sit recipiendi quantitatem, materia ex se capax recipiendi adæquatè quantitatem, illam de facto adæquatè recipit. Hæc de consequentia, quæ ex homine fit ad alia composita.

6 Argumentum adhuc in homine intentum non conuincere constat ex his, quæ dixi in Physica Controversia §. puncto 5. ubi probavi posse educi quantitatem diuisibilem & extensam ex subiecto indiuisibili incapaci extensionis ubi respondi huic rationi desumptæ ex incapacitate extensionis, quam haberet subiectum illud, ratione cuius incapax effectus formalis quantitatis, & ipsius quantitatis posset videri ut de facto Soar, & Hurtadus argumentantur de anima rationali. Vide quæ ibi dixi, ubi ostendi quantita-

tem tantum habere ex se constituere extremum vnitum in eodem loco, ubi est quantitas, ac proinde tunc diuersas partes subiecti constitui in diuersis partibus spatij, quando diuersæ partes subiecti diuersis partibus quantitatis vniuntur: quod si eadem pars subiecti, seu idem subiectum indiuisibile diuersis partibus quantitatis spatij vniatur, ex vi illius vniionis habet esse in diuersis partibus, in quibus sunt partes quantitatis, quibus illud indiuisibile subiectum vnitur. Secundo, sæpè dixi & latè probavi Controversia 8. Physicor. puncto 3. effectum formalem formæ nihil aliud esse quàm totum compositum resultans ex forma, & subiecto, & ita dari illum effectum quocienscumque datur hoc compositum, ac proinde ineptè obicitur aliquam formam vnitam subiecto, & constituentem vnum compositum cum illo non tribuere suum effectum formalem, quia eo ipso, quod constituit compositum sortitur suum effectum formalem, qui subiecto tribuendus non est, quia sicuti compositum, quod per formam constituitur non tribuitur subiecto, ita neque effectus formalis, qui à composito neque formaliter distinguitur. Quod verò forma hanc vel illam denominationem tribuat huic subiecto, & non illi, proueniat ex natura ipsius formæ, & ex natura subiecti, & ita eadem forma denominatione tribuit huic subiecto, quam alij non præstat. Totam hanc doctrinam velis, nolis concedit Hurtadus hic dum argumentum proponit, cui ex illa clarè satisfaciamus: affirmat §. 60. & satis bene duas partes materiæ vnitæ eidem parti quantitatis non esse impenetrabiles, quia tantum sunt impenetrabiles, ratione quantitatis, quando vniuntur partibus, quæ penetrari nequeunt: ergo eodem modo debet dicere eandem partem substantiæ, seu eandem substantiam indiuisibilem vnitam duabus partibus quantitatis non debere habere partes extra partes, quia hoc quod est esse vnam extra aliam tantum competit substantiæ, quia secundum diuersas partes sui diuersis partibus quantitatis vnitur. Sicut enim eadem pars quantitatis vnitæ diuersis partibus substantiæ non constituit vnam partem extra aliam, sic eadem pars substantiæ vnitæ diuersis partibus quantitatis non constituitur extra se ipsam, neque idem indiuisibile subiectum substantiale vnitum diuersis partibus quantitatis debet constitui habens partes extra partes, & ita non ex eo quod illis careat incapax erit vniendi diuersis partibus quantitatis. Ratio à priori utriusque partis eadem est: videlicet quantitatem tantum ex se habere constituere in loco, in quo ipsa est, extremum vnitum, & ita si diuersis partibus quantitatis idem indiuisibile subiectum vniatur, ex vi huius vniionis subiectum illud erit in diuersis partibus spatij, verò eidem parti quantitatis vniantur plures partes substantiæ ex vi eiusdem vniionis plures partes substantiæ erunt penetratæ in eodem spatio, in quo est pars quantitatis. Doctrinam traditam de effectu formali, etsi non nimis consequenter ad illa, quæ tradiderat, ut modo ostendam, ibidem nobis tradidit Hurtadus: obiecerat sibi sensationem materialem vniiri materiæ, quam non poterat sentientem constituere, & ita posse formam vniiri subiecto, cui non potest præstare suum effectum formalem, cui obiectioni respondet §. 64. effectum formalem sensationis præstandum subiecto non esse ipsum sentire, sed habere imaginem obiecti, quia sentire dicit actionem, & hæc ratione materiæ, quæ in se recipit sensationem, habere effectum formalem sensationis, etiam si non sentiat. Bene quidem, non consequenter, quia ipse paulo antea §. 61. dixerat repugnare vniiri intellectionem lapidi, quia non poterat illi suum effectum formalem præstare: ergo intellectio eo ipso quod lapidi vniatur, illum constitueret intelligentem: ergo similiter sensatio debet subiectum sentientem constituere, non enim minorem connexionem habet sensatio cum effectu formali sentiendi, quam intellectio cum effectu formali intelligendi. Quod si, ut bene docet Hurtadus sensatio tantum debet præstare subiecto habere in se imaginem obiecti, quod non repugnat subiecto incapaci sentiendi, intellectio similiter tantum debet dare subiecto habere representationem obiecti, quod non repugnabit lapidi ex eo quod sit incapax intelligendi: ergo non rectè arguit Hurtadus non posse intellectionem lapidi vniiri; quia lapis effectus formalis intellectionis, seu intelligendi incapax est. Confirmatur: subiectum sensationis non necessariò constituendum est sentiens, quia sensatio importat actionem, sed intellectio similiter importat actionem: ergo illius subiectum non necessariò ex vi illius



illius constituendum est intelligens : ergo male inferit Hurtadus non posse intellectionem recipi in lapide, quia non potest suum effectum formalem prestare, cum non debeat constituere intelligens subiectum, cui inhaeret. Redeo ad id, quod docet, videlicet sensationem tantum necessarium tribuere subiecto habere in se imagine obiecti, quod est habere ipsam sensationem, quod ego verum puto de omni forma, quae tantum se ipsam tribuit subiecto per unionem, ex qua unionem diuersa resultant denominationes iuxta diuersas extremorum naturas, ex qua doctrina argumentor sic. Id quod necessarium sensatio tribuit subiecto est, ut habeat obiecti imaginem seu ipsam sensationem, quod est se ipsam tribuere; ergo quod necessarium quantitas debet tribuere subiecto est illud habere quantitatem, quod est se ipsam subiecto tribuere.

Sentio non ex incapacitate effectus formalis inferri quantitatem non posse recipi in anima propter rationes dictas, sed ex eo praecise quod anima spiritualis est, & forma materialis educi nequit ex subiecto spirituali, ut saepe dixi in Physica. Respondent nonnulli hoc verum esse de subiecto adaequato, non de subiecto inadaequato, quia recte potest forma materialis educi ex subiecto inadaequato spirituali, dummodo ex alio inadaequato materiali educatur, sicut effectus spiritualis potest produci ex principio inadaequato materiali, dummodo ex alio inadaequato principio spirituali educatur. Solutionem hanc impugno. Controuersus, de anima, Punct. 1. §. 2. ubi probo actus materiales neque inadaequate posse recipi in subiecto spirituali, etiam adiuto alio subiecto materiali, ubi disparitatem exempli adducti reddo, vide quae ibi scribo praecipue à num. 15. Ex hoc praedicato spiritualitatis, ex quo repugnantiam desumo ne quantitas recipiatur in anima rationali, tantum immediate inferitur quantitatem non recipi in anima, media inhaesione, non vero non posse vniri animae, quia non repugnat quid materiale vniri alij extremo spirituali, ut patet in vnione animae rationalis ad materiam, verumtamen cum nullum sit fundamentum ad distinguendum in quantitate subiectum inhaesione à subiecto informationis, recte inferitur ex eo quod quantitas non possit recipi in anima rationali, non posse illi immediate vniri. Ex his concludo recte probari ex materialitate quantitatis, & spiritualitate animae rationalis hanc non esse illius subiectum & consequenter, neque totum hominem, quod essentialiter dicit animam, sed tantum materiam primam. Ex ipsa ratione adducta disparitatem reddi posse propter quam quantitas hominis adaequate in materia prima recipiatur, & quantitas aliorum compositorum non tantum in materiis ipsorum, sed in ipsis compositis recipiatur, dixi n. 5. Verumtamen non praecise à paritate, sed rationi innitendo videtur principium desumi ex eo, quod materia prima hominis sit subiectum adaequatum quantitatis, ad inferendum idem de aliis compositis dicendum esse. Rationem ego sic efformo. Materia prima hominis, & materia alius cuiuscumque compositi sunt eiusdem rationis; ergo si materia prima hominis virtutem habet ad quantitatem adaequate recipiendam, eandem habet quaelibet alia materia; ergo materia prima equi ex se capax est recipiendi adaequate quantitatem, aliunde non habemus fundamentum ad virtutem adhuc inadaequatam tribuendam formae equi (idem dico de quacumque alia forma materiali); ergo formae virtus hanc tribuenda non est; ergo tota quantitatis receptio tribuenda est materiae primae, quam scimus virtutem habere ad quantitatem adaequate recipiendam.

Ratio supra adducta sufficiens esset ad affirmandum quantitatem recipi in materia prima cuiuscumque compositi, verumtamen fortior alia nobis superest, cui magis fido: illam accipe. Quantitas est dispositio ad formam & ad totum substantiale per formam constituendum: ergo est prior natura forma substantiali, & toto per ipsam constituendo: ergo non potest esse posterior forma, neque posterior toto; ergo neque in forma, neque in toto recipi potest. Antecedens admittunt omnes, nullus enim negat quantitatem esse dispositionem ad formam substantialem. Prior illatio legitima est iuxta doctrinam traditam 2. Phys. Contr. 7. Punct. 8. & 9. ubi probauimus nihil posse esse prius & posterius respectu eiusdem adhuc in diuerso genere causa. Posterior illatio citra controuersiam est, quia id, quod in alio recipitur ab illo dependet tanquam à causa materiali, & est illo posterius; ergo quod non potest esse

posterius hac entitate, non potest recipi in illa. Neque illi qui mutuam causalitatem duarum entitatum in diuerso genere causae admittunt, vim argumenti effugiunt, quia quantitas disponit ad formam aptando materiam ut in genere causae materialis recipiat formam, & unionem, & ex parte causae materialis se habet respectu formae & unionis recipiendae: ergo est prior forma & unionem, & consequenter prior composito in genere causae materialis; ergo non potest esse posterior illo in eodem genere causae materialis.

Fundamenta, quibus opposita innitur sententia omnia leuissimi sunt momenti. Arguunt: Materia prima est pura potentia: ergo nullum habet actum quovisque actuetur forma substantiali, aliis primus actus materiae esset forma accidentalis, seu quantitas, quae prius reciperetur forma substantiali; verbi gratia, forma equi, ex quo etiam inferretur formam equi recipi in materia media quantitate, & ita non constituere vnum per se immediate cum materia. Respondeo materiam primam ex se, & secundum suam entitatem esse puram potentiam physicam, quae actuetur per formas accidentales, & per formam substantialem, per hanc prius ordine intentionis, quia reliquarum actuationes, seu informationes ad huius informationem ordinantur, per illas prius ordine executionis, quia informationes accidentium, quae disponunt ad formam substantialem, illam praecedunt, quod non est contra rationem formae substantialis, quae semper retinet esse actum primo intentum à natura, propter quem reliqui intenduntur, quod tantum est de ratione actus substantialis. Ad vltimum quod obieciatur videlicet formam substantialem recipi in materia media quantitate, Respondeo recipi media quantitate tanquam dispositione praerequisita ex parte materiae ad formam substantialem recipiendam, non vero media quantitate terminante unionem ad formam substantialem, vel hanc recipientem, ex quo non inferitur formam substantialem non constituere vnum per se cum materia, quia forma tantum constituit vnum cum illo, quod terminat suam unionem, & cum hanc non terminet quantitas, etiam si ad illam ut dispositio supponatur cum materia, sed tantum ipsa materia cum hac vnum constituit, non cum quantitate, & ita vnum per se erit, cum tantum sit constitutum ex materia & forma substantiali.

Rursus obieciunt Thomistae: Materia prima non potest recipere quantitatem, neque aliud accidens, quovisque sit subsistens, sed non est subsistens quovisque sit informata forma substantiali: ergo non potest quantitatem recipere nisi informata; ergo non potest per se ipsam nisi simul cum forma quantitatem recipere. Maiorem probant, quia sicut actio ex parte principij actui supponit subsistens, seu supponit principium actuum subsistens, ita passio debet supponere principium passuum subsistens. Minorem certam esse putant, quia materia prima subsistit per subsistentiam totius, & ita non potest subsistere quovisque intelligatur informata, & totum constitutum. Si Thomistis redarguas materiam primam supponi prius natura formam ad ipsam formam recipiendam absque subsistentia mendicata à forma, seu composito, respondent principium passuum non debere supponi subsistens ad recipiendum actum subsistentem, qualis est forma substantialis, secus ad recipiendum actum non subsistentem, qualis est quantitas. Facile illos sic respondentes infector: perfectius principium passuum requiritur ad actum perfectiorem, seu ad formam perfectam recipiendam, quam ad aliam imperfectam; sed forma substantialis perfectior est forma accidentaliter; ergo perfectius principium passuum requiritur ad substantialem, quam accidentalem recipiendam; sed ad substantialem non requiritur principium subsistens: ergo neque ad accidentalem. Verisimilius posset responderi principium passuum non debere supponi subsistens ad formam substantialem, quia per illam constituitur subsistens, secus ad accidentales, quia per has non subsistit, sicuti non debet supponi praesens ad praesentiam, quia ex vi huius praesens constituitur, etiam si ad alias formas recipiendas debeat praesens supponi. Contra: etiam si materia subsistat per subsistentiam formam, seu totius non subsistit formaliter per ipsam formam, quia subsistentia, quae subsistit materia, & forma, & subsistit totum, ab ipsa forma distinguitur; ergo materia non subsistit formaliter per formam: ergo ex hoc capite non potest supponi sine subsistentia ad formam recipiendam, si aliunde ad omnem receptionem, debeat supponi subsistens.



11 Respondeo ad rationem Thomistarum materiam primam habere substantiam propriam, ratione cuius potest supponi subsistens ad recipiendam formam substantialem, & accidentalem prius naturâ, quam intelligatur cum aliqua forma substantiali, si requiratur supponi cum tali substantia. Secundò dato materiam primam non habere substantiam propriam respondeo principium passivum non debere supponi formaliter subsistens ad passionem ut in Metaphys. probabo Controuersia 6. Puncto 6. Tertiò admissio substantiam requiri ex parte principij passivi, & hanc emendatam à forma materiæ competere, probatur argumentum informationem, formæ substantialis supponi tanquam conditione ad receptionem quantitatis, non verò formâ ipsam esse principium receptivum quantitatis.

12 Vltimò obicitur: Quantitas est proprietas totius compositi: ergo recipitur in toto composito, quia proprietates in illo subiecto recipiuntur, cuius sunt proprietates. Confirmatur: quantitas communicat suum effectum formalem toti composito, & formæ substantiali, quæ per quantitatem extenduntur: ergo debet quantitas recipi in ipsa forma substantiali, & in ipso toto. Retorqueo argumentum. Quantitas communicat suum effectum formalem albedini, quæ extenditur per quantitatem: ergo debet recipi in albedine. Neque respondere potest Thomista quantitatem tribuere suum effectum formalem albedini, non quia recipiatur in albedine, sed quia albedo recipitur in quantitate, cum asserat albedinem, & quantitatem recipi in toto composito. Ex quo principio sic arguo: albedo extenditur per quantitatem, quia recipitur in toto, in quo recipitur quantitas, videlicet in toto composito: ergo ex eo quod forma recipiatur in materia, in qua recipiatur quantitas, erit extensa. Ratio est manifesta, forma debet esse in eodem loco, in quo est subiectum, in quo recipitur: ergo ex eo quod forma recipiatur in subiecto extenso per quantitatem, vel aliunde, extensionem habebit in ordine ad idem spatium, quod occupat subiectum. Hæc ratio solutio sit vltimæ partis obiectionis petite ex communicatione effectus formalis. Ad priorem partem dico quantitatem esse proprietatem totius compositi: ratione materiæ, quæ illam producit, & in se recipit, sicuti virtus intellectiva in opinione, quæ illam superadditam constituit convenit homini ratione formæ, non quia forma illam producat, aut recipiat, sed quia illam exigit, & supponit in materia receptam, & ab ipsa productam.

13 Ex eo, quod hic dixerim, & Controu. 3. de Anima. Punct. 1. S. 2. animam rationalem & spirituales, non posse esse subiectum adhuc inadæquatum, ex quo simul, & alio forma materiali educatur, seu in quo media educatione recipiatur, neque ad hoc posse quasi eleuari ea ratione, quia principium naturale à supernaturali eleuatur. Infurgit Recentior Complutensis affirmans me in æquidoco laborare, quia intelligo partem aliquam quantitatis recipi in materia, & partem aliam in anima, quod dicit esse rudem intelligentiam, rudissimam esse fateor, sed non meam, ut manifestè constabit sedato animo me inter legenti, nec noua do verba, nec data explico, ut iacent adeo violentæ explanationis capacia non esse lippi, & lacunosi oculi cernent.

14 Obicit sequi ex mea sententia sensationes materiales non vniri animæ, quod est contra meam sententiam. Si meam sententiam in hac re legit, scire debebat, eam esse sensationes materiales subiectari solum in materia, nunquam in subiecto educationis, quod assero Contr. 3. de Anima Punct. 1. S. 2. concl. 6. vbi ipse, quem locum concl. 6. relata ipse ex me refert, immediateque concl. 7. asserere sensationes materiales animæ vniri, tanquam subiecto informationis, hoc enim negare non est formam spirituales posse vniri materiali subiecto, illudque informare cum id in anima rationali informante materiam corpoream competent sit.

15 Videamus modo quomodo ipse componat quantitatem corpoream in anima rationali posse inadæquate recipi. Asserit, animam entitative in se, & secundum vltimum gradum esse incapacem recipiendi diuersas partes quantitatis; eandem tamen, ut eminenter est corpus non esse incapacem, ac proinde idem esse dicere, quod anima recipitur in corpore, ac dicere recipi in materia ut informata primo gradu, hicque asserit animam esse eminenter corporealem, quia tribuit materiæ gradum corporis, & secundum hunc gradum reddere materiam capacem quantitatis. Sic rationalis anima dicitur eminenter vegetatiua, & sensiti-

ua, quia præstat omnes actiones sentiendi, & vegetandi, quas præstat anima vegetatiua in planta, & sensitiua in bruto.

In ordine ad operationes vitales animam rationalem, non solum eminenter, sed formaliter esse vegetatiuam, & sensitiuam sumpto præcisè vegetatiuo, & sensitiuo sine exclusione superioris gradus identificari assero Controu. 1. de Anima Punct. 3. n. 7. quia est formale principium vegetationis, & sensationis, neque ex eo quod hæ operationes materiales sint vlla apprehenditur difficultas, in eo quod possint ab anima tanquam à principio procedere, supponunt enim innumera exempla effectuum materialium actiue procedentium à principiis spiritualibus, verumtamen animam rationalem hanc eminentiam habere in ordine ad passionem, ita ut illa accidentia spiritualia recipere possit ex nullo capite potest probari. Deinde asserere habere hanc eminentiam nihil aliud est, quam principium proferre obscurioribus terminis, quia hanc eminentiam habere formaliter nihil aliud est, quam posse esse principium passivum accidentium materialium, sicuti esse eminenter vegetatiuam, aut sensitiuam nihil aliud importat, quam esse principium vegetationis, & sensationis.

Quod dicitur esse eminenter corpoream, quia dat esse simpliciter secundum omnes gradus, & secundum gradum corporis tantum importat ipsam vniri materiæ corporeæ, & ex vtraque componi hominem, qui est totum quoddam in re partim materiale, partim spirituale, & simpliciter dicitur totum materiale, & corporeum à materia sensibili & corporeæ ex sua natura absque eo quod aliquid corporeitatis ab anima recipiat.

Venio ad rationes alias, quas contra præcipuam conclusionem adducit. Mitto illam, quæ desumitur ex eo quod materia sine forma non sit ens in actu, quam inuiti falso principio probant.

Ex accidenti, & materia vel sit vnum per se, vel per accidens. Non vnum per se, quia ex subiecto, & accidenti fieret vnum per se, quod est contra Philosophum 5. Metaph. tex. 13. quia sunt diuersi generis. Si per accidens cum omne per accidens ad per se debeat reduci: ergo oportet præexistere aliqua, ex quibus fiat vnum per se, hoc autem non est, nisi compositum ex materia, & forma substantiali: ergo necessario præexistet forma substantialis omnibus accidentibus.

Respondeo, ex materia, & accidenti sibi vniri fieri vnum concretum accidentale, quod plerique distinguunt vnum per se substantiale, & accidentale vocant vnum per se accidentale, ut distinctum ab vno per accidens, in quo nullæ est vnio physica, sicuti in exercitu, & in musica. Alij tantum dicere volunt totum seu vnum per se totum substantiale, & omne concretum accidentale totum per accidens vocant; in quorum phrasi hodie minus recepta compositum ex materia, & accidenti totum per accidens dicitur. Ex hoc autem non inferitur, quod ad illud debeat præsupponi forma, seu totum substantiale, sed solum totum accidentale ordinari ad totum substantiale, quia recte componitur hoc ad illud ordinari, & esse prius illo, ad quod ordinatur hoc in eadem materia admittere debent, etiam illi qui asserunt accidentia subiectari in toto composito, quia cum lignum incipit disponi ad formam ignis plures dispositiones, quæ vltimam tempore præcedunt subiectantur in ligno, & sunt prius tempore forma ignis, ad quam disponunt: coexistunt prius forma, ad quam ordinantur: ergo recte potest vnum ordinari ad aliud, absque eo quod aliud, ad quod ordinatur supponatur præexistens.

Rursus arguit, omne subiectum receptivum formæ terminat etiam vnionem: ergo si quantitas immediate informat materiam immediate vnitur quantitati: ergo forma substantialis postea adueniens vnietur materiæ media quantitate, & ita totum substantiale per se constituere non poterit, quia hoc ex accidenti, & substantia non resultat. Confirmat discursum istum: forma non vnietur materiæ nisi strata quantitate, ergo vnietur materiæ media quantitate, & inter materiam, & formam substantialem mediat quantitas.

Hæc omnia leuissima sunt; ex hoc enim, quod materia prius informetur quantitate immediate illi vnita, & postea illi adueniat forma substantialis, nunquam inferitur formam substantialem immediate esse vnientem quantitati, & mediate materiæ, neque hoc ita contingit, quia forma substantialis est actus per se materiæ, & cum illa constituit



stituit totum substantiale, cuius constitutionem, neque inadæquatè includit accidens, sed forma substantialis immediatè vnitur materiæ primæ etiam quando aduenit, inueniet iam materiæ informatam quantitate sibi vnita, neque vlla est repugnantia apparentia in eo, quo duplex forma, vna substantialis, & accidentalis alia vniantur immediatè quantitati, etiam si substantialis supponat accidentalem informantem materiæ. Ratio est, quia etsi quantitas, quæ est forma accidentalis supponatur ex parte materiæ ad informationem formæ substantialis non supponitur, tanquam virtus, seu potentia receptiua formæ, seu tanquam aliquod, medio quo materiæ formam recipiat, sed tanquam conditio prærequisita ex parte ipsius materiæ ad formam recipiendam, qua ratione, nec dispositionem præsupponunt ad formam, & ad illarum existentiam forma producit, & immediatè in materia recipitur, illique vnitur, dispositiones enim exigunt formam non ipsi immediatè vniendam neque in ipsis recipiendam sed immediatè materiæ primæ vniendam, & in illa immediatè recipiendam.

PUNCTVM II.

De subiecto aliorum accidentium.

1 Non procedit quæstio de accidentibus modalibus ab ipsa entitate productis, sicuti præsentia, & duratio in opinione, quæ hanc distinguit à re durante, quia de his certum est subiectari in entitatibus, quarum sunt modi, & quas efficiunt, quasi proprias illarum formas. Neque disputo de actibus vitalibus, & illorum potentis, si superadditæ dentur, de his enim agam Cotrouerfia 3. de anima puncto 1. §. 2. vbi proprium illi subiectum assignabo. Procedit præsens difficultas de aliis accidentibus communibus, sicuti sunt quatuor primæ qualitates. Docuere Soncinas lib. 12. Metaph. q. 88. concl. 2. & Iauell. q. 8. omnia accidentia inherere substantiæ media alia potentia eiusdem rationis cum accidenti recipiendo, videlicet qualitatem recipi media potentia, quæ sit qualitas, & quantitatem media potentia, quæ quantitas sit. Sententia hæc omni probabilitate destituta est, quia virtus illa media qua qualitas recipitur debet in subiecto recipi, cum sit eiusdem rationis cum qualitate recepta, vel ergo recipitur media alia virtute, & sic in infinitum abimus: si immediatè, & per se: ergo sicut hæc virtus immediatè recipitur in substantia, sic poterit recipi, qualitas illa ad quam virtus ista configitur. Nouissimi quidam qui Thomistarum nomine sua scripta commendare intendunt, asserunt (etsi expressè contra Angelicum Doctorem) iuxta D. Thom. dicendum esse hæc accidentia à forma dimanare, & recipi in toto composito, esseque priora forma in genere causæ materialis, & posteriora in genere causæ efficientis. Sententia hæc ex dictis puncto præcedenti, facillè impugnatur, quia hæc mutua prioritas causarum adhuc in diuerso genere admittenda non est, neque admissa sufficeret ad hanc sententiam defendendam, quod ibi dixi, & efficacius modò ex his, quæ tradit hæc sententia ostendo. Hæc accidentia recipiuntur in toto composito: ergo sunt illo posteriora in genere causæ materialis: ergo sunt posteriora forma constitutante tale compositum in eodè genere quia nequeunt dependere à composito in aliquo genere, in quo non dependeant à partibus essentialibus quibus constituitur, sed aliunde vt tradit hæc sententia, hæc accidentia sunt priora forma in genere causæ materialis: ergo in eodem genere sunt priora, & posteriora.

2 Respondent prædictæ sententiæ Patroni formam esse priorem, & posteriorem accidentibus in eodem genere, non proximè, sed remotè, quia ex eo quod totum compositum sit prius in genere causæ materialis accidentibus, non inferitur formam esse priorem illis proximè, sed remotè, seu medio toto. Multa possent adduci contra hanc solutionem, verumtamen, quia leui opera detrudenda est, pauca dabo. Inquiri vnde nouerint hi auctores posse dari prioritatem mutuam remotam in eodem genere: hoc certe nullus ex his, qui antiqua lucubratione scriptorum D. Thomæ, sibi Thomistarum nomen comparauerunt edocuit, & id fieri non posse ostendi clarè 2. Physic. Controu. 7. puncto 5. vbi probaui causam remotam esse causam per se & non posse à suo effectu dependere, alias posset dici res

omnes mutuo fuisse productas asque vna prima causa per dependentiam huius entitatis ab effectu, quem remotè produxit, posset enim ignis A. producere ignem B. & ignis B. ignem C. & ignis C. ignem D. & hic ignis D. producere ignem A. à quo remotè fuit productus; & ita hi omnes ignes posset dari absque vlla prima causa, à qua omnes ignes dependerent, & quæ non dependeret ab alia. Secundo probo hanc dependentiam accidentium à forma non futuram esse mediatam, & remotam, sed immediatam, & proximam: accidentia immediatè dependerent à toto composito indiuisibiliter sumpto, in quo subiectarentur: ergo immediatè dependerent à ratione constitutiva à compositi: sed hæc est materiæ, & forma: ergo immediatè dependerent à materiæ & forma. Deinde compositum nihil est aliud quàm materiæ, forma, & vnio, cum quibus adæquatè identificatur, & inadæquatè cum qualibet illarum, sed accidentia immediatè subiectarentur in materiæ, forma, & vnione, in qualibet illarum tanquam in subiecto inadæquato, & in omnibus tanquam in subiecto adæquato: ergo immediatè dependerent à forma, & in genere causæ materialis essent immediatè posteriora forma: sed aliunde sunt immediatè priora tali forma: ergo sunt immediatè priora, & posteriora forma in eodem genere. Sed ne contendamus de hac dependentia formæ, ad totum eandem formam argumenti transfero. Accidentia in genere causæ materialis immediatè disponunt ad formam, & vnionem: ergo immediatè disponunt ad totum. Probo consequentiam: eatenus causatur totum, quatenus causatur vnio, & principium illud, quod immediatè causatur vnionem ex eo præcisè quod illam causat dicitur immediatè causa totius, neque alia ratione generans, aut principium aliquod potest dici causa immediata totius, nisi quia immediatè causatur vnionem: ergo dispositiones, quæ immediatè causant vnionem, causant totum, non quia totum recipiant, neque quia deseruiant, vt totum recipiatur in aliquo subiecto, sed quia deseruiunt vt recipiatur id, per quod formaliter constituitur totum: ergo per eandem causalitatem, siue propriam, siue impropiam, & dispositiuam, per quam hæc accidentia constituuntur priora respectu totius, constituuntur priora respectu totius. Sed sunt priora vnione in genere causæ materialis: ergo ratione huius in eodem genere sunt priora toto; sed si recipiuntur in toto sunt posteriora illo in genere causæ materialis: ergo sunt priora & posteriora in genere causæ materialis.

Pater Hurtadus disp. 6. Physic. sect. 6. cui consentit P. Arriaga disp. 5. Physic. sect. 2. subsect. 4. asserit, has qualitates recipi in materiæ prima, & non in quantitate. Retert pro hac sententia Nominales: verumtamen cum hi auctores non admittant quantitatem materiæ superadditam, & ab illa distinctam, non illis gratias debet agere Hurtadus, quia accidentia non quantitati superadditæ, quam negant sed materiæ primæ largiantur. Mouetur Hurtadus, quia munus quantitatis est extendere subiectum. Fateor munus quantitatis esse subiectum extendere, & in ordine ad hoc rectè concipi totam illius essentialitatem metaphysicè sumptam, verumtamen cur non poterit quantitas, cuius munus primarium est extendere subiectum, in ordine ad quod essentialiter constituitur, habere potentiam receptiuam accidentium? Arguit secundò: primæ qualitates disponunt ad formam substantialem, & sunt causæ secundarum, & tamen secundæ non recipiuntur in primis: ergo non est cur reliquæ qualitates in quantitate recipiantur. Vim huius illationis non agnosco, quia auctores, qui asserunt qualitates in quantitate recipi, non idè hoc affirmant, quia existiment à quantitate produci, certum enim est qualitates diuersas, & secundum diuersam intentionem non produci efficienter à quantitate eiusdem omnino rationis in aliis compositis: ergo ex eo quod qualitates secundæ productæ à primis in his non recipiantur, neque inferitur qualitates non recipi in quantitate, neque insinigitur ratio, qua id Doctores asserunt. Tandem arguit: forma substantialis recipitur in materiæ: ergo in eadem debent recipi dispositiones ad illam, quia dispositiones debent recipi in eodem subiecto, in quo recipitur forma ad quam disponunt. Huic argumento satisfeci Controuersia 2. Physic. puncto 2. num. 7. vbi dixi non omnes dispositiones debere immediatè recipi in eodem subiecto, in quo est forma, sed sufficere vniam immediatè recipi, & media illa recipi alias.

Primas qualitates, & reliquas, quæ ex his oriuntur recipi in



in quantitate defendunt P. Soar disp. 14. sect. 4. n. 5. P. Rub. lib. 1. de generat. cap. 4. tract. 3. q. 10. & communiter recentiores. Huic sententiæ aquiesco, non quia firmum aliquod fundamentum inueniam, quod animum conuincat, sed quia communis est, & magis ad mentem D. Thom. qui illam docet variis in locis, quæ refert Soar supra, & pro opposita sententia nullum inuenio fundamentum quod in illam potius quam in istam animum ferat. Rationes nonnullas, quibus alij sententiam hanc probant omitto, quia leuis, nulliusve ponderis sunt, tantum adduco illam, quæ ex speciebus Eucharisticis adduci solet. Agens naturale producit naturaliter calorem, & frigiditatem in speciebus panis. Eucharisticis in quibus nulla datur materia prima: sed non potest hæc accessio producere nisi in subiecto, ex quo educantur, quia si extra subiectum producerentur, illorum productio esset creatio, quæ ab agenti naturali non posset procedere: ergo ibi reperitur subiectum naturale horum accidentium: ergo tantum potest esse quantitas, cum ibi non super sit materia, neque illud accidens, quod possit esse subiectum illorum, quæ in speciebus contingunt. Respondet Hurtadus productionem illam accidentium esse creationem producentem tantum à Deo ad præsentiam agentis naturalis, quia Deus ob meritum fidei ne mysterium Eucharisticum ratione naturali innotescat producit supernaturaliter illa accidentia, quæ naturaliter produceret agens naturale, si ibi daretur substantia panis. Nulla ratio efficax inueniri poterit ad hanc solutionem impugnamdam, etsi magis congruum videatur hæc miracula sine fundamento non admitti, cum nullum inueniatur, quod possit suadeat accidentia in materia prima, & non in quantitate recipi. Ideo hanc sententiam sine contentione defendo, dum enim accidentia in toto non subiectentur quod efficaciter rationes supra adductæ, & aliæ ad homines adducenda puncto sequenti contra illos, qui admittunt corrupto toto omnia accidentia corrumpenda esse, satis efficaciter probant, nulla ratione efficaci impeterunt, qui illa potius in materia, quam in quantitate, vel potius in quantitate, quam in materia constituunt.

## PUNCTUM III.

*An corrupto toto substantiali resolutio fiat usque ad materiam primam.*

**A**utores, quos retuli puncto 1. asserentes quantitatem subiectari in toto composito existimant teneri consequenter asserere corrupto composito deficere quantitatem, & omnia alia accidentia, quæ media quantitate eidem composito inhærebant. Illi verò, qui defendunt, quantitatem tantum inhære materię primæ, & reliqua accidentia eidem materiæ, vel quantitati, & non toti composito defendunt plura accidentia, quæ erant in genito, in corrupto permanere; adduntque Hurtad. disp. 6. Physic. sect. 6. §. 6. & disp. 1. de gen. sect. 5. §. 4. & alij recentiores non sequi ex eo quod accessio in toto subiectentur, omnia corrumpenda, quando corrumpitur totum, cui inhærebant, & aliud aduenit, idè placuit vim huius illationis examinare, ut videatur, quæ ratione procedat Thomistarum opinio, & difficultatem supra præfixam, etiam iuxta aliorum principia definire.

**2** Deficere potest accidens ex defectu conseruantis, vel ex contraria forma adueniente, vel ex defectu subiecti, aliusve conditionis requisitæ ad illius conseruationem. Accidentia, quæ erant in toto composito, non deficere ex defectu conseruantis fatentur omnes, quia non omnia dependebant in conseruari à præexistenti forma, omnia enim quæ communia sunt pluribus cõpositis, sicuti primæ qualitates, & quæ ex his oriuntur eo ipso quo semel sunt producta, exiunt conseruari à Deo etiam si deficiat quodcumque aliud principium creatum à quo conseruentur, ut patet in calore, qui amoto igne, à quo fuit productus, & nullo alio agenti naturali applicato conseruatur per aliquod tempus in subiecto, etiam in præsentia contrarij intendentis illud expellere. Deinde videmus in genito accidentia saltem eiusdem speciei, quæ erant in genito accidentia illa actiua, quæ modo hæc accidentia denuo producit, si ab illis, quæ in corrupto præcessere distinguuntur, potuit illa, quæ præcessisse dicuntur conseruare, si ex alio capite non corrumperentur. Probat etiam hæc experientia ac-

cidentia antiqua non corrumpi per formam contrariam aduenientem, quia loco illorum succedunt alia eiusdem speciei, & omnino eiusdem rationis, & licet accidentia eiusdem rationis impossibilia sint in subiecto, nunquam tamen vnum expellit aliud, ut experientia notum est, alias ignis applicatus ligno postquam totam intensionem, quam poterat, produxisset, perpetuo nouos gradus caloris produceret, qui antiquos expelleret, & sic in singulis instantibus nouus calor produceretur, & productus tempore præcedenti corrumperetur. Rationem propter quam id contingere non possit reddam Controuersia 4. Puncto 2. §. 3. Neque conditio aliqua desiderari potest dum totum corrumpitur, ex defectu cuius accidentia, quæ illi inhærebant subsistere non possint, quantumvis enim dicatur materiam primam indigere substantia tanquam conditione ad illa accidentia sustentanda, ex defectu huius accidentia non deficiet, quia etsi secundum sententiam, quæ asserit materiam primam non habere propriam substantiam, substantia antiqua deficiat, noua alia aduenit, quod sufficit, ut eadem accidentia persistant, sicuti deficiente præsentia ex parte materiæ primæ, si alia adueniat non deficit effectus, seu causalitas, quæ ex parte materiæ supponebat præsentiam, ex vi cuius passio approximaretur.

Totus ergo antiquorum accidentium defectus, si datur quando totum corrumpitur reducendus est in defectum subiecti, cum verò in nostra sententia subiectum quantitas sit materia prima, & aliorum accidentium materia prima, vel quantitas, corrupto toto non deficit subiectum accidentium, & ita hæc persistent donec ab alio extrinseco corrumpantur. In Thomistarum sententia certum est deficere illorum subiectum, quod erat totum præexistens, & modo corruptum, adhuc tamen defendo ex defectu huius accidentia corrumpenda non esse, quod sic proba. Non minus dependet accidens à principio effectiuo, à quo producebatur, dummodo adueniat aliud eiusdem virtutis quod possit loco illius substitui, non deficit effectus, sed ille, qui antea conseruabatur ab illo principio, modo ab isto adueniente conseruatur: ergo deficiente principio passiuo, à quo dependebat dum adueniat aliud eiusdem virtutis, quod possit loco illius substitui, non deficit effectus, sed qui antea dependebat ab illo principio passiuo, modo dependebat ab isto in eodem genere causæ materialis. Sed quando deficit hoc totum, quod passiuè sustentabat hæc accidentia, aduenit aliud, quod in actu primo potest eadem sustentare, siquidem in omnium sententia, si de facto eadem non sustentat, sustentat alia eiusdem speciei: ergo totum istud adueniens substituitur loco illius, quod præcessit, & passiuè substituit eisdem accidentibus, quibus præcedens sustentabat. Confirmatur: sicut accidens dependet media actione superaddita à principio effectiuo, & indifferens est ut dependeat ab hoc vel ab illo media hac vel illa actione, ita dependet à principio passiuo media passione superaddita, & indifferens est, ut dependeat ab hoc vel illo principio passiuo, sed ex eo quod accidens habeat hanc indifferenciam, potest idem, quod modo dependet per hanc causalitatem ab hoc principio actiuo in instanti sequenti dependere per aliam causalitatem ab alio principio actiuo, si applicetur: ergo similiter poterit idem accidens, siquod modo dependet ab hoc principio passiuo in instanti immediato dependere per aliam causalitatem ab alio principio passiuo eiusdem virtutis cum isto existente, sit tale principium passiuum loco istius applicetur. Discrimen vnum in hac re inuenio quando succedit principium actiuum diuersum, & quando succedit principium passiuum, quod quando succedit hoc principium actiuum permanere potest idem accidens: verbi gratia, idem calor cum eadem vnione, quia tam calor, quam vnio dependebat à principio actiuo tantum media actione superaddita, & poterant ab hoc, vel illo dependere: quando verò succedit diuersum principium passiuum, etsi de calore eadem sit ratio, de vnione est diuersa, hæc enim non potest eadem permanere variato principio passiuo, quia vnio non solum dependet tanquam à causa materiali media passione superaddita à principio passiuo, sed etiam immediate, & per se tanquam ab extremo, quod ex vi illius vnitur, & cuius est modus, & deficiente hoc principio passiuo, seu hoc toto necessario deficit vnio, quam existens terminabat tanquam proprium modum inseparabilem ab illo, poterit tamen persistere idem accidens cum alia vnione ad aliud totum, quia sicut accidens dependet media passione



passione, & indifferens est ad hanc vel illam dependentiam à diuerso principio, sic videtur media vnione superaddita, & indifferens est ad terminandam hanc, vel illam vnionem diuersam.

4 Dices sequi ex hac doctrina, accidens posse migrare de subiecto in subiectum. Respondetur: accidens migraturum de subiecto in subiectum, si permanente subiecto accidens illud relinqueret, & transiret ad aliud, non verò dici migrare de subiecto in subiectum, quando accidens localiter immotum nonum acquirit subiectum, quia antiquum deficit, & aliud loco illius immediatè applicatur, quod contingit in subiectis inadæquatis in subiectis verò adæquatis nunquam vel rarè potest id contingere, quod si contingat aliquando, rectè docet Hurtadus disput. 1. citato §. 46. posse accidens diuersum adæquatum subiectum acquirere. Posset, in aliquo casu, contingere cum Sol persennam intensam lucem producit in parte aeris fenestram oppositam, quæ intensio reliquo cubituli spatio non producit, tunc autem succedunt diuersæ partes aeris in illo spatio, in quo producit illa intensio, & in eodem instanti, in quo recedit alia, alia accedit, & applicatur ad conferendam illam lucis intensiorem, quam non possunt in alio spatio conseruare, partes, quæ recesserunt: ergo tunc lux illa nouum subiectum adæquatum acquirit, eademque in diuersis subiectis succedentibus conseruatur, quin nouo accedente subiecto lux noua producat, & corruptur antiqua. Admissa applicatione noui subiecti non reculat Hurtadus concedere accidens nouum adæquatum subiectum acquirere, affirmat tamen §. 46. citato antecessor esse dubium, quia applicatio aeris fit per partes proportionales, per quas non est tam applicatum agens, quam antea. Maiori explicatione indiget hæc ratio, quid enim refert aerem applicari per partes proportionales, vel per aliquotas, ne habeat eandem applicationem? argumentor sic. Nouus aer saltem secundum aliquas partes occupat indiuisibiliter idem spatium, quod occupabat antiquus, agens luminosum est in eodem spatio, demus enim non esse Solem, qui semper mouetur, sed ignis vel luminosum, quod per breue aliquod tempus immobile fit: ergo erit eadem applicatio, cum sit idem spatium occupatum à passio, & agente.

5 Existimo defendi posse nunquam accidens adæquatum subiectum relinquare, & nouum acquirere ex defectu applicationis, quam in casu prædicto non dari sic suadeo. Rem explico in continuo partium finitarum, ne infinitarum multitudine res obscurior fiat. Pono partes aeris directè fenestræ oppositas esse, quatuor videlicet partes A, B, C, D, E, existentes in partibus B, C, D, E, spatio, & moueri aerem versus partes F, G, spatio: cum pars E, mouetur constituitur extra spatium directè fenestræ oppositum, & loco illius succedit pars D, quæ antea directè fenestræ erat opposita & adhuc remanet in spatio directè opposito, & ita secū fert intensiorem lucis, quam habebat antequam moueretur, & cum non possit simul recipere lucem antiquam, & lucem, quæ pars E recipiebat hanc non potest conseruare, unde necessario corrumpitur intensio illa, quam secum non potest ferre pars E, quia passum, quod succedit in spatium aptum ad illius conseruationem venit propria luce occupatum, & non potest alienam recipere: sic partes B, C, cum mouentur intra illud spatium directè fenestræ oppositum antiquam lucem retinent, & pars noua aeris, quæ ingreditur partem A, spatio, quæ est prima oppositæ fenestræ nouam lucem concipit, & ita nulla pars lucis nouum acquirit subiectum antiquo relicto. Instabis: agens agit vniformiter difformiter per omnia indiuisibilia: ergo datur in illo spatio vnum indiuisibile spatio, in quo sit maior intensio, quam in omnibus aliis: ergo gradus ille lucis, in quo indiuisibile aeris excedit omnia indiuisibilia aeris existentia in reliquo spatio immobilis est: ergo non potest aer, qui modo illo informatur, cum mouetur in instanti sequenti, illud secum ferre, neque aer, qui succedit poterit afferre tantam intensiorem, quantum habebit in hoc spatio indiuisibili: ergo intendetur gradu illo, quem secum ferre non potuit pars aeris, quæ spatium illud reliquit. In continuo Aristotelico difficultas hæc locum habere nequit, quia cum quælibet particula aeris diuisibilis sit, habebit partes magis, & minus intensas, & ita non subsistet subiectum huius difficultatis, quod est indiuisibile quoddam aeris excedens reliquas partes aeris in intensione, quæ ex hoc indiuisibili spatio moueri nequit. Item secundum

opinionem, quæ asserit non per quodlibet minimum indiuisibile subiecti, sed per extensionem agens agere vniformiter difformiter, difficultas hæc nõ subsistit ex defectu subiecti, nam vt dicebam hoc debet esse indiuisibile quoddam reliquis omnibus intensius intensione quadam immobili ab hoc spatio. Qui velit simul defendere contrarium constare ex indiuisibilibus, & per singula agens agere vniformiter difformiter, adhuc potest defendere luminosum esse æquè applicatum ratione diuersarum partium diuersis partibus passu, non quibus sit linea recta ab agente ad passum, sed quibus sit linea quædam traiciens spatium illud directè fenestræ oppositum ab vno latere ad aliud, & ita nullum posse dari indiuisibile aeris excedens intensiorem immobili reliqua omnia, de quo tantum potest difficultas procedere.

6 Aliud discrimen posset assignari iuxta doctrinam Thomistarum, ratione cuius non posset substitui vnum subiectum loco alterius, etiam si posset vnum principium effectuum in ordine ad eundem effectum loco aliis subrogari, videlicet accidentia indiuiduari à subiecto, & ita non posse diuersa subiecta recipere, quia non potest idem accidens habere diuersas indiuiduationes, non tamen indiuiduari à principio effectiuo, & ita posse dependere à principiis diuersis. Solutio hæc falsam continet doctrinam sæpè à me impugnata, & facile à quocumque impugnanda. Secundo ad homines contra Thomistas arguitur. Materia prima in ipsorum sententia, indiuiduatur à quantitate, & ratione quantitatis distinguitur hæc pars ab illa & tamen eadem materia est in diuersis totis cum diuersis quantitatibus, cum materia corrupto, & genito in ipsorum sententia, & non quantitas sit communis: ergo etiam si accidens indiuiduaretur à subiecto, posset idem diuersis successiue inherere subiectis. Tertiò magis propria, & magis intrinseca est existentia cuiusque rei, quam subiectum accidenti, sed potest eadem materia successiue informati diuersis formis, habere successiue diuersas existentias, & ex defectu huius existentie materia non deficit, quia illi alia aduenit in Thomistarum sententia: ergo potiori ratione poterit idem accidens inadæquatis subiectis successiue inherere, & deficiente isto subsistere, si istius loco aliud succedat.

7 Destruo fundamento, quo Thomistæ intendunt non eadem accidentia permanere in genito, & in corrupto, sunt alia plura argumenta, quæ suadent, eadem numero in vtroque permanere. Desumitur primum illudque valde efficax ex experientia, quæ sentimus eadem accidentia in caduere, quæ in viuente præcesserunt. Respondent Patroni oppositæ sententiæ, sensus esse corrigendos ab intellectu, qui non debet assentire his, quæ sensibus apparent. Id ego in obsequium fidei præsto libens, verum in obsequium difficilis, & vetustæ sententiæ non solum contra experientiam, sed etiam contra rationem, non præstabo. Affirmant Patroni oppositæ sententiæ omnia accidentia, quæ erant in præcedenti composito simul cum illo periisse, & alia similia fuisse producta, quæ sensibus non possunt discerni à præcedentibus, illis valde similia. Contra solutionem istam arguunt omnes sectatores nostræ sententiæ. Nulla est causa, à qua possint alia accidentia denuo produci: ergo si semel antiqua fuissent corrupta nusquam alia similia producta fuissent. Probat antecessor: forma cadaueris quæ subsequitur nullo ex his indiget accidentibus, neque virtutem habet illa producendi, quorum enim forma cadauerica produceret calorem qui est in homine, qui paulo antè animam egit, & tantam deorganizationem, cicatricum signa, quæ tantum viuenti huic indiuiduo conueniebant, & ad formam cadaueris nullo modo spectant? Neque aliud extrinsecum agens, à quo hæc accidentia producantur: ergo si semel antiqua fuissent corrupta, nunquam alia producta fuissent. Nonnullas solutiones adducit, & refellit P. Soar disp. 14. sect. 2. num. 21. omnino à veritate aberrantes, tolerabilior est, qua dicitur Deum similia accidentia producere, ne materia immediatè transeat ad accidentia inter se valde opposita, sed successiue antiqua amittat. Hæc solutio parum est philosophica, quia absque aliquo fundamento, Deo tribuit productionem accidentium, quam nulla causa exigit. Quod si Deus, positis dispositionibus dam alia causa naturalis non superest producat substantialem formam, id præstat ad exigentiam dispositionum, & si causam determinat, vt hunc effectum præ alio producat, causa ipsa exigit ipsam

debet



determinari à Deo, quia exigit Deum cum illa concurrere ad effectum, quem maluerit, quod fieri nequit absque determinatione effectus, quia eo ipso, quod concurrat Deus concurrat ad effectum determinatum: in præsentem verò nulla est causa naturalis, quæ exigit talium accidentium productionem: ergo absque fundamento Deo attribuitur. Quod dicitur Deum illa producere, ne materia immediate transeat in accidentia adeo differentia, & inter se opposita nullius est momenti, quia alienum non est à materia transire immediate ad quæcumque accidentia quantumvis opposita dum ex alio capite transiunt non repugnet, quia materia his vel illis accidentibus est æquæ contenta. Neque ex eo quod in instanti hæc habuerit, si in sequenti corrumpantur, minus apta erit ad quæcumque alia, quantumvis præcedentibus opposita, quia virtus materiæ in hoc instanti intrinsecè eadem est, quæcumque accidentia præcesserint, neque illa impedimentum aliquod relinquant, ratione cuius non possint succedere quæcumque accidentia quantumvis præcedentibus opposita. Dicunt Thomistæ ex accidentibus, quæ præcesserunt materiam manere sigillatam ad alia similia. Hæc verba sunt re vacua, quia hæc sigillatio nihil potest esse, quod in materia remaneat tanquam illius accidens, quia secundum sententiam, quam impugnamus omnia accidentia fuere corrupta; materia secundum se supposita corruptione accidentium, quæ præcesserunt, æquæ indifferens est ad omnia: ergo percipi nequit, quid sit illa sigillatio, ratione cuius materia determinatur ad accidentia similia, his, quæ cum toto præcedenti fuerunt corrupta, potius forma denuo genita illam determinabit ad opposita accidentia.

8 Aliud argumentum contra hunc dicendi modum multis doctè expendit P. Soar suprà à num. 23. quod ego dabo paucis cinctum. Subiectum debet supponi dispositum ad generationem in instanti, in quo exercetur generatio, quia subiectum debet esse dispositum ad formam recipiendam in instanti, in quo recipit illam, sed in illo instanti, in quo corrumpuntur dispositiones, quæ præcesserunt, non potest esse dispositum ad recipiendam formam per dispositiones in hoc instanti productas, & in toto receptas, non per dispositiones, quæ præcesserunt: ergo nullo modo. Dicunt nonnulli in hoc instanti disponi per dispositiones in hoc instanti productas & in toto receptas, quæ sunt priores, & posteriores forma in diuerso genere causæ. Hunc dicendi modum efficaciter impugnat Hurtadus rationibus, quas adduxi puncto præcedenti ad hanc mutam prioritatem expugnandam, ubi probavi non solum in diuerso genere, sed in eodem esse futuram. P. Rubius suprà, q. 7. à n. 201. asserit subiectum esse dispositum, & determinatum ad recipiendam hanc formam in hoc instanti per dispositiones, quæ in instanti præcesserunt, quia virtute illarum est expulsa in hoc instanti forma præcedens, ita ut si Deus vellet suum suspendere concursum, & non producere aliam formam, non minus corrumperetur forma præcedens, ita ut materia absque omni forma permaneret. Ex his inferit per dispositiones præcedentes materiam manere determinatam ad hanc formam in specie, quia expulsionem formæ per tales dispositiones non potest subsequi nisi hæc forma, quam tanquam finem respiciunt dispositiones præcedentes. Addit materiam manere determinatam non solum ad speciem formæ, sed ad hanc indiuiduam formam, quia postis his dispositionibus non potest ab hoc agenti cum his circumstantiis produci alia forma indiuidua ab ista distincta.

9 Longum esset totam hanc doctrinam ex professo impugnare, vndique enim innumeris scætet difficultatibus, excurrant singula quæ in illa traduntur, & validas impugnationes singulis applicabo. Docet P. Rub. dispositiones præcedentes disponere ad hanc formam, quia virtute illarum, quæ præcesserunt, & corrumpuntur simul cum forma antiqua in instanti generationis. Dispositiones illæ subiectabantur in composito antiquo, verbi gratia, in ligno, ponit gigni modo ignem & corrumpi formam ligni: ergo dispositiones illæ supponebant tanquam causam materialem compositum illud, videlicet lignum: ergo non possunt illud destruere. Probo consequentiam: Nulla forma potest corrumpere subiectum illud, quod supponit tanquam principium suæ existentie: sed dispositiones illæ supponunt lignum tanquam principium materiale suæ existentie, ut defendit Pater Rubius cum omnibus Thomistis:

ergo non possunt illud destruere. Ratio maioris propositionis est manifesta: omnis effectus supponit & requirit præexistens, & independens à sua entitate principium, à quo dependet in quocumque genere causæ, quod eo ipso, quod sit principium causatum est prius natura effectui, & independens ab illo: ergo implicat effectum destruere principium, quod requirit præexistens, & supponit existens, independentem ab illo, quia eo ipso, quod illud supponat & requirat præexistens non potest exigere destructionem, alias idem effectus exigeret existentiam principij, & negationem illius existentie, à qua existentia dependebat, quod manifestè implicat. Deinde eo ipso quod principium supponatur independens ab effectu implicat ab illo corrumpi, quia id, quod existit potius independentem ab alio nequit ab illo corrumpi. Secundò forma ligni corrupta in instanti, in quo gignitur forma ignis existit in omni mensura, in qua extiteret dispositiones præcedentes: ergo existentia formæ ligni componebatur cum existentia illarum dispositionum: ergo non expellitur forma ligni per illas dispositiones, cum quibus rectè componitur in eodem subiecto, quia forma expellens aliam impossibilis debet esse cum illa, neque per minimum instans componi possunt formæ expellens, & expulsa. Tertiò, etsi forma expulsa non possit esse in instanti, in quo expellitur, quia in illo potius debet esse negatio formæ, forma tamen expellens debet esse in instanti temporis in quo est expulsio, quia forma expellens est causa expulsionis. seu negationis formæ, quæ dicitur expulsa, ac proinde debet existere in instanti, in quo ponitur talis negatio, quia omnis causa existere debet in instanti, in quo ponitur illius effectus: sed dispositiones, quæ subiectantur in ligno non existunt in instanti temporis, in quo expellitur forma ligni, quia in eodem instanti temporis, in quo corrumpitur lignum, corrumpuntur dispositiones in illo receptæ: ergo dispositiones illæ non possunt esse causa expulsionis formæ ligni. Ex his concludo contra P. Rubium dispositiones antiquas non esse causam expulsionis formæ corruptæ, & hanc corrumpebam non esse, si Deus suspenderet concursum, quo producit formam generitini principium aliud produceret, à quo forma illa expelleretur.

Admitto tamen formam ligni expelli per dispositiones præcedentes, ut veniam ad aliud, quod docet, videlicet dispositiones illas disponere ad formam ignis ex eo, quod expellant formam ligni, quia formam ligni sic expellant tantum potest subsequi forma ignis. Expulsio formæ ligni eadem est à quibuscumque dispositionibus proveniat: ergo ipsa secundum se non ex eo, quod proveniat ab his, vel ab illis dispositionibus expellentibus diuersam formam infert in materia, à qua expellitur: ergo ex eo præcisè, quod forma ligni expellatur per has dispositiones æquæ indifferens manet materia ad hanc formam, vel ad aliam specie distinctam. Confirmatur: expulsio formæ ligni præcedentis posita est ad exigentiam formæ impossibilis, sed hæc negatio siue sit posita ad exigentiam huius vel illius forme est semper eadem, & purum esse negatiuum: ergo quia eadem non magis hanc, vel illam specie formam induceret, siue ab his, siue ab illis specie distinctis dispositionibus proveniret, si aliquam posset inducere, quia negatiuum nihil positiuum valet inducere, neque potest subiectum positiue disponere. Verge, dispositiones præcedentes vel disponunt immediate, & per se, vel media negatione formæ ligni quam inducunt: immediate & per se non possunt disponere ad receptionem formæ factam in instanti, in quo ipsæ non existunt, quia nihil potest immediate & per se aliquid præstare in instanti, in quo non existit. Si media negatione formæ, quam inducunt, redeunt omnia argumenta suprà facta desumpta ex identitate negationis provenientis ab his, vel illis dispositionibus specie distinctis, & ex natura ipsius negationis, quæ est purum nihil, nihil positiuum præstare valens. Probaui dispositiones expellentes formam ligni non determinare speciem formæ introducendam, quibus rationibus eodem modo probatur non determinare indiuiduationem formæ, ut docet P. Rubius, quod etiam impugnatum est lib. 2. Physicorum, Controv. 10. Punct. 2. ubi probavi indiuiduationes effectuum, causæ primæ, & non aliis extrinsecis circumstantiis tribuendas esse.

Vltimò independentem ab his omnibus probo dispositiones existentes in instanti præcedenti generationem, &



in illo corruptas non poſſe diſponere ad formam genitam. In inſtanti, quod generationem formæ præceſſit, non præceſſit vltima diſpoſitio ad formam: ergo non præceſſere diſpoſitiones adæquatæ formam ad genitam: ergo non præceſſerunt diſpoſitiones, quæ poſſent adæquatæ ad illam diſponere. Antecedens admittunt omnes, quia in primo inſtanti, in quo eſt vltima diſpoſitio ad formam genitam eſt forma genita, neque enim eſt amplius quod expectet forma producenda cum in ſubiecto datur vltima diſpoſitio ad illam. Conſequentia eſt per ſe nota, quia ubi non eſt vltima diſpoſitio ad formam non eſt totum, quod requiritur vt ſubiectum ſit adæquatè diſpoſitum: ergo non eſt id, quod poſſit adæquatè ad formam diſponere. Si dicas diſpoſitiones illas non diſponere adæquatè, ſed inadæquatè, teneris dicere diſpoſitiones receptas in genito ſaltem inadæquatè diſponere ad formam, quam ſupponit, & in te habebis omnia argumenta, quibus impetuntur, qui aſſerunt diſpoſitiones receptas in genito adæquatè ad illius formam diſponere, mutua enim prioritas cauſarum, quibus hæc ſententia impugnatur, æquè repugnat in principiis adæquatis, & inadæquatis. Deinde ſi diſpoſitiones in genito receptæ aliquo modo diſponunt, ad illius formam adæquatè diſponunt, quia ex ſe quibuſlibet aliis ſeculoſis adæquatè ſubiectum ſternunt ad formam ſuſtinentandam & illis poſitis, & influentibus in formam, quam ex parte ſubiecti ſupponunt, ſuperſuius eſt influxus aliarum diſpoſitionum, quæ præceſſerunt.

Si fundamentum quæras, quo ſententiam adeò difficile illius auctores amplectantur, nullum inuenies præter iam impugnatum vt falſum & inefficax, ſcilicet quia putabant ſubiectari in toto composito, & auctoritate Ariſtotelis, quam ſibi ſuffragari putant teſtimonio, quod iam exhibeo. Ariſtoteles lib. de generatione, cap. 4. text. 23. ſic generationem explicuit: *cum uero totum immutatur & nihil ſenſibile, ut eiufdem ſubiectum remanet, generatio eſt.* Ex quo inferunt auctores oppoſitæ ſententiæ in generatione nullum manere ſenſibile, hoc eſt, nullum accidens, quod ſenſibile eſt, ſeu ſenſuum obiectum. Huic teſtimonio rectè reſpondet Hurtadus Ariſtotelem tantum docuiſſe in generatione non permanere ſenſibile ſumptum in concreto, quod ſentiri dicimus mediis accidentibus, non uero deſicere accidentia ipſa, mediis quibus ſubiectum ſentitur, quem ſenſum exprimunt uerba illa: *Vt eiufdem ſubiectum*, quia eo ipſo quod totum deſiciat non manet ſubiectum, quod antea ſentiri dicebamus, eſſe maneat accidentia ſenſibilia, quæ primo, & per ſe ſentiuntur.

Obiicies: Subiectum accidentium ſenſibilium iuxta noſtram opinionem eſt materia prima, & non totum compositum: ergo corrupto composito, ſi manent accidentia ſenſibilia cum eadem materia prima permaneat, permanet idem ſenſibile etiam in concreto ſumptum: ergo vt non remaneat ſenſibile adhuc in concreto, vt Ariſtoteles docet, neceſſe eſt accidentia ſubiectari in toto composito, & non in materia prima, vel ipſa accidentia non permanere, quia permanentibus accidentibus cum neceſſum ſit materiam ipſam permanere, neceſſum erit idem ſenſibile in concreto ſumptum ſecundum materiam, & formam permanere. Reſpondeo materiam primam tantum eſſe ſubiectum inhaſionis, & informationis accidentium ſenſibilium, nihilominus mediis accidentibus ſubiectaris in materia prima dicimus nos ſentire totum compositum, & non materiam primam, cum enim medio colore video corpus, non dico me videre materiam primam, ſed videre hominem, vel equum, lapidem, vel arborem, &c. ac proinde totum compositum eſt, quod ſentiri dicitur, & quod ſenſibile vocamus, quodque Ariſtoteles nomine ſenſibilis in hac definitione intelligit.

Contra dicta num. 3. uidelicet quod etiamſi accidentia ſubiectarentur in toto composito, adhuc eo deſtructo eadem accidentia poſſent permanere in genito, & in corrupto Modernus Complutenſis modo ſibi ſolito: Aſſerit me contemnere argumentum, quo ex eo quod ſic ſubiectentur accidentia in toto composito plures inferunt deſtructo composito accidentia corruptenda eſſe. Non ego contemno argumenta, quibus non conuincor, & quibus reſpondere intendo, ſicuti neque ſententias probabiles, quas non amplector, neque ea quibus non aſſentimur contemnere licet, quod ſi recentior iſte ſibi perſuaſum haberet moderatiorem ſeruafſet modum in aliorum impugnandis ſententiis.

Franc. de Guiedo, Philoſoph. Tom. I.

Arguit primo quia ſi accidere poſſet deſtructo illius ſubiecto in alio ſuſtentari, fruſtra facit Deus illud miraculum in Euchariftia, quod accidentia ſine ſubiecto maneat, quia nunquam deſinit ſuccedere aliud ſubiectum, in quo poſſent naturaliter ſuſtentari. Hæc ſunt Recentioris uerba, quem rogo, quid ſibi velit dum ſcribit, *quia nunquam deſinit ſuccedere aliud ſubiectum*, Sonant uerba loco ſubſtantie panis in conuerſione Euchariftica ſubſtantiam aliam ſuccedere, ſed hanc non eſſe uiri Religioſi mentem mihi certum eſt, quia ex hoc ſequeretur ſubſtantiam panis in illam ſubſtantiam ſuccedentem conuerti, & non in Chriſti corpus, quod eſt myſterium eucharifticum deſtruere contra Conciliorum definitiones. Reſpondeo accidentia euchariftica deſtructa ſubſtantia panis in alio ſubiecto non recipi, quia ita neceſſe eſt, vt ſubſtantia panis in Chriſti corpus tranſfert, & hac ratione à Deo ſine ſubiecto conſeruantur. Nec deſtructo pane aliud ſubiectum poteſt excogitari, in quo illa accidentia ſubiectarentur, niſi Deus illud denuo crearet, quia materie reliquæ aliorum compositorum, & ipſa composita, quæ in rerum natura permanent, habent ſuam quantitatem diſtinctam à quantitate euchariftica, & ita bene recipere non poſſunt. Neceſſe ergo erit, vt quantitas euchariftica ſubiectum ſubſtantiale haberet, quod Deus ad deſtructionem panis aliud compositum vel ſaltem materiam aliam crearet. Nec dici poſſet, quod quantitas euchariftica in alio accidenti recipienda eſſet, quia de illo eſſet eadem quaſtio, cum ſine ſubiecto eſſet conſeruandum, neque in rerum natura accidens reperitur aptum vt ſit quantitatis ſubiectum.

Rurſus arguit: ſequi ex meo dicendi modo; eandem numero gratiam eſſe in conferente, & in eo, cui conferitur, cuius oppoſitum notat ſanctus Thomas 3. parte, quaſt. 62. art. 3. ad 2. ſimiliter eandem numero ſpeciem, quæ eſt in rebus, imprimandam eſſe intellectui, quod non ita contingere aduertit ſanctus Thomas quodlib. 8. art. 33. Rurſus inferretur, quod eadem numero actio eſſet ſubiectiue in agente, & in paſſo.

Hæc tumultuariè, & ſine delectu affectu impugnadi dicta ſunt, & ita abſque vlla efficacie ſpecie. Omnibus ſuperabundanter ſatiſfit dicendo quaſtionem eſſe, an quando ſubiectum accidentis deſicit, & aliud loco illius ſuccedit, ſuccedens poſſit eadem accidentia ſubſtentare, quæ ſubſtentabat ſubiectum præcedens, quod iam non ſubſiſtit, quod etſi de ſubiecto adæquato diceretur minimam anſam inferendi non dabit permanente hoc ſubiecto, quod accidens ſubſtenter poſſe accidens relicto priori ſubiecto, quod perſeuerat ad aliud tranſire, quod in caſibus à Recentiore adductis inferitur, vt illos expendenti patebit, illos ſingillatim recurro.

De more eſt huic recentiori omnia quæ uult aſſerere quibuſuis uerbis Diui Thomæ, quæ materiam illam attingant probare, quo ſibi uidetur ratione alia non indigere, nec ſolutione, quibus ſatiſfaciet argumentis contra illius ſententias adductis, ideo placet examinare, quid ad rem conducat teſtimonium, quod in hac parte ex D. Thoma pro ſe adducit. Inquirat Angelicus Doctör art. illo 3. citato, an Sacramenta gratiam contineant. Primum argumentum pro parte negante, hoc eſt gratia non eſt in Sacramento, tanquam in ſubiecto, quia Sacramentum eſt corporeum & ſubiectum gratiæ, non eſt corpus, ſed ſpiritus; neque tanquam in uale, quia uas eſt locus mobilis: ergo nullo modo. Secundum argumentum eſt, Sacramenta ordinantur ad hoc, vt per ea homines gratiam conſequantur, ſed gratia, cum ſit accidens nequit tranſire de ſubiecto in ſubiectum: ergo pro nihilo eſſet gratia in Sacramentis.

His argumentis reſpondet Angelicus Doctör, quod gratia non eſt in Sacramento tanquam in ſubiecto, nec in uale tanquam in loco, ſeu propterea dicitur inſtrumentum alicuius operis faciendi. Ex hoc ad ſecundum reſpondet, quod quamuis accidens non tranſeat de ſubiecto in ſubiectum, tranſit tamen à cauſa aliquid in ſubiectum, non vt eodem modo ſit in eis, ſed in vnoquoque ſecundum propriam rationem, in Sacramento uidelicet tanquam in inſtrumento gratiæ producendæ, in ſubiecto, vt recipiente gratiam medio Sacramento productæ. Rogo ego in quo conferente, & in quo ſubiecto, cui conferatur, inferat iſte fore eandem gratiam. Si in Sacramento conferente tanquam inſtrumento: Habemus ex D. Thoma in illo non eſſe gratiam tanquam in ſubiecto. Si in principali conferente Deo: gratia creata in Deo tanquam in ſubiecto non eſt, ſed

L1 tanquam



tanquam in principio productiuo. Dicat ergo ex quo conferente tanquæ ex subiecto inferat in aliud subiectum gratiam esse transiuram. Perfecto non solum argumentum illius efficax non est, verum etiam est de materia non supponente, supponit enim principium conferens gratiam esse subiectum materiale illius. Ex testimonio relato posset desumere prædictus author, Diuum Thomam asserere, accidens non transire de subiecto in subiectum, quod ego affirmo quando subiectum non substituitur in eodem instanti, in quo vnum deficit loco alterius in eodem spatio, quod occupabat subiectum præexistens, quod solum posset inferri ex eo quod dicatur accidens non migrare de subiecto in subiectum, verum tamen, neque hoc in loco id affirmat Angelicus Doctor, sed hoc omittit quia ad soluendum argumentum necessarium non erat, & ita quasi sub conditione loquitur his verbis. Ad secundum dicendum, quod quamuis, accidens non transeat de subiecto in subiectum. Hoc dixerim, non quia non iudicem verissimum commune adagium accidens non potest migrare de subiecto in subiectum, sed vt ostendam, quod hoc adhuc non probatur ex hoc testimonio adducto.

20 Quod secundo loco obiicit videlicet eandem speciem, quæ est in rebus posse inesse intellectui eodem vitio laborat. Nam si loquitur de speciebus, quas recipit intellectus humanus dum anima est corpori unita non solum eadem numero, sed neque alia eiusdem naturæ specificæ in alio subiecto præcedit, nam quovisque Phantasma cum intellectu agentis speciem spirituales in intellectu producit omnes præcedentes species materiales sunt. Deinde obiecta in se ipsis speciem non producant, sed in medio & in potentia, ad quas illas mittunt. Rursus, quod eadem numero actio sit in agente, ac in passio, hoc consequens toto cælo distat ab hac materia, quia accidens est modus, & non potest separari à re, cuius est modus, & ita non potest modo esse in agente, & postea in subiecto, simul autem esse in utroque disparatum quid est ad hoc propositum.

21 Rursus arguit, magis dependet accidens à subiecto, quam à loco: ergo si potest mutare subiectum poterit mutare locum, & ita migrare ex subiecto, quod est in hoc loco, in aliud, quod sit alio loco. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia quando accidens mutat subiectum inadaquatam ipsum accidens nihil agit, sed tantum subiectum adueniens incipit illud recipere. Si autem accidens ex hoc subiecto in aliud saltaret debebat ex vno in aliud absque subiecto moueri, cuius motus nulla potest causa reperiri, nec ratio, aut causa cur perderetur vnio ad primum subiectum, & alia ad nouum subiectum produceretur.

22 Mitto alia, quæ hic aggerat Recens iste, quia quisque ea leget facile agnoscat nulla indigere solutione, neque speciem aliquam difficultatis præ se ferre, huiusmodi argumentum est: destructo fundamento ædificij totum ædificium corruere, & ita ablato subiecto accidens corrumpendum esse.

## PUNCTUM IV.

*Quomodo dispositiones supponantur ex parte actus primi ad formam substantialem.*

I **F**ert communis sententia dispositiones se tenere ex parte materiæ, & esse priores formæ in genere causæ materialis. Ex quo principio probavi dispositiones non posse recipi in toto composito, quia essent priores, & posteriores formæ, non solum in diuerso, at in eodem genere causæ, quod implicat in omnium sententia, & in nostra adhuc in diuerso genere causæ hæc mutua prioritas impossibilis est. Contra hanc rationem, quæ omnibus familiarissima est, grauis insurgit difficultas petita ex conseruatione formarum, quam hic exagitantam remisi, quia illius solutio dependet ex doctrina, quam modò tradam de ratione influxus, quem præstant dispositiones in primo instanti productionis, & in vterioribus conseruationis in formam, ad quam disponunt. Argumentum ita procedit: Forma substantialis, verbi gratia, forma ignis in secundo instanti suæ durationis est causa efficiens qualitatû, quæ ad illam disponunt: ergo in illo instanti est prior natura dispositionibus in genere causæ efficientis: sed in illo instanti dispositiones sunt priores formæ in eodem genere,

quo prioritatem habent in primo instanti: ergo in illo secundo instanti sunt priores & posteriores saltem in diuerso genere causæ: ergo admittenda est hæc mutua prioritas, quam nos negamus, quia admissa eueritur tota doctrina tradita Punctis præcedentibus. Maiorem probat experientia, quia videmus ignem illico propria virtute actiua recuperare gradum caloris deperditum: ergo actiue producit, & conseruat calorem, quem in se habet: ergo actiue influunt in proprias dispositiones, quarum præcipua calor est. Respondent nonnulli: ignem tantum producere, & conseruare calorem illum excedentem intentionem requisitam ad sui existentiam, à qua tantum dependet tanquam à dispositione, & non à calore illo excedente, & ita non influere in dispositionem aliquam, à qua dependeat in aliquo genere, cum nullo modo dependeat ab illo calore, qui excedit intentionem requisitam ad sui conseruationem, sine quo subsistere valet. Solutio hæc tantum ad difficultatem præsentem fugiendam inuenta est, cuius doctrinæ nec leue fundamentum reperies nisi tantum ex illa difficultate hanc componi, & grauior alia contra illam insurgit. Pono calorem exigere naturaliter octo gradus caloris, & posse quinque conseruari, & non paucioribus: si gradus subordinati non sunt, ignis æquè conseruabitur cum quinque illorum octo, quos habet dum est in statu naturali, neque magis hos, quam illos exigit: ergo nulla est ratio cur ex illis octo hos tres non conseruet, potius quam alios quoscumque loco illorum, neque cur hos quinque conseruet potius quam alios quinque inadæquatè ab his distinctos, qui reperiuntur in illo octonario: ergo sine fundamento dicitur hos determinatos non conseruare, & illos conseruare: neque ad Deum recurrendum est quando res alter componi possunt. Si gradus sunt subordinati forma ignis dependebit à quinque inferioribus, & non ab aliis tribus vltimis: ergo dici nequit conseruare illos, à quibus non dependet, & non conseruare illos, à quibus dependet, ab omne enim dicitur agens naturale conseruare gradus superiores, & perfectiores huius intensiōis, & non alios inferiores, & imperfectiores. Minorem primi syllogismi sic proba. Seclusa resistentia contrarij, idem requiritur ad conseruandam aliquam formam, ac ad illam primo producendam, sed ad producendam formam requiruntur dispositiones ex parte subiecti: ergo ad illam conseruandam: ergo dispositiones, quæ influunt in productionem, influunt in conseruationem. Maiorem proba: Conseruatio, & productio physice non distinguuntur, sed eademmet actio in instanti, in quo incipit terminus, dicitur productio, & in vterioribus dicitur conseruatio, sed ex eo, quod præcesserit, vel non præcesserit terminus, actio non variatur: ergo idem requiritur ad illius existentiam, siue terminus præcesserit siue non præcesserit. Ad explicationem huius difficultatis scire oportet quam causalitatem inter se habeant formæ, & illius dispositiones, & quomodo hæc exerceatur, de quibus latè disputat noster Soar. disp. 14. Metaphysic. sect. 3. n. 26. & sequent. & Hurt. difficultatem propositam attingit disp. 2. sect. 1. & in præsentiarum ego nonnullis conclusionibus, omnia, quæ ad hanc materiam spectant clare explicabo.

PRIMA CONCLUSIO: Nulla dispositio potest physice in genere causæ efficientis in formam influere. Constat hæc conclusio ex lib. 2. Physic. Controv. 9. Punct. 3. vbi probaui nullum accidens posse physice substantiam producere.

SECUNDA CONCLUSIO: Quantitas disponit materiam ad recipiendam formam, & se tenet ex parte causæ materialis, & in hoc genere est prior forma. Probo hanc conclusionem: Materia ad formas substantiales recipiendas, & conseruandas requirit tantam determinatam extensionem: sed hæc extensio procedit à quantitate: ergo quantitas conducit, vt materia formas recipiat: ergo se tenet ex parte materiæ, quatenus hæc est causa materialis receptiua formarum. Neque contra hanc conclusionem ratio supra facta vim habet, quia quantitas neque producit, neque conseruatur à forma.

TERCIA CONCLUSIO: Reliqua accidentia, quæ disponunt ad formam ex se intrinsecè habent exigere productionem formæ ad quam disponunt à Deo, vel ab alio agente naturali præstantiam. Ratio est manifesta, quia nulla alia causa potest dari, propter quam Deus creet rationalem animam in materia disposita, nisi quia dispositiones in materia existentes exigunt creationem animæ in materiam introducendam, neque ob aliam rationem Deus producit



producit alias formas viventium, quarum nulla potest dari causa efficiens, à qua producat, & ob eamdem rationem Sol, & alie causæ vniuersales indifferentes ad diuersas formas producendas, hanc potius, quàm illam in hac materia producant.

5 **QUARTA CONCLUSIO:** Non ex eo præcisè, quod dispositiones exigant hanc formam produci, & illa de facto producat, sunt priores forma, si hanc producit Deus non attendendo ad has dispositiones, sed libere ad suam voluntatem, vel ob alia motiua, quæ voluntatem diuinam inducunt ad illam formam producendam ex vi decreti, quod idem permaneret si dispositiones illæ non præcessissent. Quia tunc dispositiones neque illarum existentia non influunt physicè, neque moraliter in formam: non physicè, quia exigentia, quàm habent dispositiones formæ producendæ, neque est influxus physicus, neque ad illum ordinatur: non moraliter, quia hic influxus fit mouendo causam ad talem effectum, causalitas enim causæ moralis respectu actus interni, est actus internus respiciens tanquam motuum ipsius principium morale, & respectu effectus externi est illius productio dependens ab isto interno actu: ergo si agens aliunde determinetur, causa moralis nullum influxum habebit in effectum, sicut si quis rem consulat Petro, quam ipse à se vult facere, & non propter rationes à consulente propositas, quas contemnit, non dicitur causa moralis illius effectus, quem ipse illius auctori consulat.

6 **QUINTA CONCLUSIO:** Quando dispositiones, quæ exigunt formam de facto in illam non influunt, seu non mouent, neque determinant principium effectuum ad illius conseruationem, vel productionem tunc temporis præstitam, possunt esse posteriores ipsi formæ, & ab illa dependere in genere causæ efficientis. Ratio est, quia per hoc, quod est præcisè habere talem existentiam, est præcisè esse priores formæ, de facto non sunt formaliter priores ex vi illius: ergo ex vi illius non repugnat posteriores esse in quocumque genere. Sic contingit in physicis, virtus enim, quæ posset esse prior alia dum in actu secundo prior non est, potest de facto esse posterior, & dependet de facto hic ignis ab illo, quem ex natura rei posset producere, si ab alio, & non ab illo dependet.

7 **SEXTA CONCLUSIO:** Quando dispositiones, quæ exigunt formam, de facto, influunt moraliter, & determinant Deum ut per se tantum, vel cum alio agente naturali concurrat ad productionem formæ sunt priores formæ, & non possunt ab illa dependere. Probo: Dispositiones mouent per existentiam ipsam, seu ex præuisione suæ existentie: ergo supponit ipsarum existentia ad determinationem causæ ad producendam formam: ergo supponit ad formam productam: ergo est prior forma: ergo talis existentia non potest esse posterior forma: ergo non potest existentia dispositionum dependere à forma, aliàs daretur mutua prioritas inter dispositiones, & formam, quam sæpe in omnibus causis repugnare diximus. Confirmatur: Dispositiones videntur existentes antequam existat forma, ad cuius existentiam producendam determinat agens in differens ad formam producendam, vel non producendam: ergo etiam si agens non determinetur in actu secundo ad formam producendam, supponetur dispositiones existentes: ergo etiam si non detur forma producta, quia Deus, non obstante existentia dispositionum non vult illam producere, supponetur dispositiones existentes, quæ priores sunt determinatione agentis. Dices esse priores, & posteriores in diuerso genere, & in diuerso ordine causandi quod non repugnat, quia etsi dari nequeat mutua prioritas adhuc in diuerso genere, quando vtrique causa physicè causat, non repugnat dari, quando vna causa physicè, & altera moraliter causat. Contra: Etsi dispositiones causent medio influxu morali, influxus iste supponit ipsarum existentiam, non obiectiue cognitam, & apprehensam tantum sicuti finalis causa, sed physicè exercitam, & positam in rerum natura: ergo ad hoc ut moraliter dispositiones causent formam, supponuntur physicè existentes in illo priori, in quo possunt causare, & sunt indifferentes, ut illis contingat causalitas iuxta propriam existentiam, vel negatio causalitatis contra eamdem existentiam: ergo forma, quæ postea aduenit postquam iam supponuntur dispositiones existentes, & cum omnibus prærequisitis ad existentiam ipsarum, quia eo ipso quod præuidentur existentes, præ-

*Deinde de quibus Philosoph. Tom. I.*

uidentur cum omnibus requisitis, ut existant, non potest esse vnum è requisitis ut dispositiones existant, quia antequam videretur forma, erant præuisa omnia requisita ad existentiam dispositionum: ergo non potest influere in dispositionum existentiam, quia id solum influat in hanc, quod ad illam in aliquo genere causæ prærequiritur.

8 **SEPTIMA CONCLUSIO:** Dispositiones, quæ à forma conseruantur, quibus excepta quæritate reliquæ comprehenduntur, in nullo genere concurrunt ad conseruationem formæ iam existentis in subiecto, neque in aliquo genere causæ sunt illa priores. Hanc conclusionem tenetur docere P. Soar. qui in Metaphysic. disput. 18. sect. 3. num. 10. asserit verissimilius esse dispositiones conseruari à forma, & disput. 14. sect. 3. num. 18. ait se non posse intelligere quod sit verè preparans, & aptans subiectum ad formam, & quod effectiue consequatur ipsam formam. Quod si ibid. num. 40. aliquam mutua prioritatem, & dependentiam concedat inter dispositiones, & formam, non loquitur de dependentia mutua vtrique à priori, sed vna à priori, & alia à posteriori, sicuti forma à priori dependet à materia, & in vulgari sententia materia dependet à posteriori à forma, neque aliud genus mutue prioritatis admittit inter dispositiones, & formas, ut legentis fiet perspicuum. Eandem conclusionem expressè tradit P. Hurtadus hic disput. 2. sect. 1. subsect. 3. Confirmatur: dispositiones non sunt priores formæ in genere causæ efficientis physicè ut statuit conclus. 11. non in genere causæ materialis physicè aptando materiam sicut illam aptat quantitas, quia nullus apparet modus, quo calor hac ratione materiam disponat, neque ratio, quæ illum suadeat, & omnino superfluum est quicunque excogitetur: ergo dispositiones omnes demptâ quantitate, de qua non loquimur, quando influunt in formam, tantum influunt moraliter determinando principium productuum illius ad productionem eiusdem. Sed semel iam producta forma influxus iste necessarius non est ad illius conseruationem: ergo dispositiones etiam si influant in formæ productionem determinando illius principium modo dicto, nullo modo influunt in illius conseruationem. Minorem, seu hoc vltimum antecedens probo. Forma semel producta per suam entitatem petit conseruari à Deo: ergo potius mouebitur Deus ad illam conseruandam propria formæ existentia, sicuti mouetur existentia aliarum entitatum, quarum nulla alia entitas exigit ipsarum conseruationem ad illas conseruandas, quàm existentia dispositionum, & fortiores erunt apud Deum (licet sic loqui, ut rem explicem) preces propriæ formæ ad propriam conseruationem, quam preces alienæ, videlicet dispositionum, quæ eiusdem formæ existentiam exposcunt.

9 Ex hac doctrina optima desumitur disparitatis ratio, cur dispositiones illæ influant in primam formæ productionem, & non in illius conseruationem. Quia forma non potest exigere suam propriam productionem, & ita ad existentiam alienam producit: quod si ad alienam existentiam producenda est, iure producit ad existentiam dispositionum, quæ illam exposcunt: semel tantum producta forma ipsa suam exigit conseruationem, & ad propriam existentiam rectè conseruari dicitur, & ita alienæ existentie influxus necessarius non est. Illud quod dicitur eundem influxum, & eadem principia requiri ad productionem, & ad conseruationem eiusdem rei concedendum est de influxu physicò, non verò de influxu morali, licet aliquo modo posset de isto concedi, quia influxum similem illi, quem præstant dispositiones ad formam producendam, præstat eadem forma existens ad ipsius conseruationem, & ita substituitur influxus formæ productæ in ipsam ut conseruandam loco influxus, quem præstant dispositiones in formam ut producendam. Quomodo aliqua entitas exigit suam conseruationem, & quo tempore, & pro quo tempore illam exigit, explicò Controuersis.

10 **OCTAUA CONCLUSIO:** Ad introductionem huius formæ substantialis supponitur ex parte materiæ carentia dispositionum ad formam oppositam. Quia si non supponeretur hæc carentia, ignis, v.g. in primo instanti, in quo applicaretur ligno, introduceret suam formam, etiam si dispositiones ad formam ignis non præcessissent. Probo sequelam: Dispositiones tantum requiruntur, ut determinent principium productuum formæ ad formam producendam: sed ignis per suam entitatem est in actu primo determinatus ad formam ignis producendam: ergo

L1 2 determi



deinabit Deū vt cum illo concurrat ad talem formam, etiam si dispositiones non adsint, quæ petant hunc concursum. Confirmatur: Materia vt sit potens recipere formam, & in actu primo ad illam, non debet supponere ex parte actus primi dispositiones à quantitate distinctas, quia hæc, vt dicebam, tantum requiruntur, vt determinetur agēs ad producendam formam, & ita non supponuntur ex parte actus primi ad conseruationem, quando ad illam agens aliunde determinatur. Sed ignis ex parte sua est in actu primo ad formam producendam, quia ex se est determinatus, vt dicebam: ergo si nullum adesset impedimentum ad talem formam producendam, illam de facto produceret: ergo ex eo non producit illam, quia dispositiones formæ præexistentis impediunt introductionem aduenientis: ergo requiritur ablatio impedimenti, videlicet negatio dispositionum ad hanc formam, vt possit introduci alia.

II Dices ignem non producere formam in primo instanti, in quo applicatur antequam præcedant dispositiones, quia materia non est determinata ad formam illam recipiendam, quam determinationem desiderat à dispositionibus præstantam. Contra: Materia ex se indifferens ad hanc, vel illam formam recipiendam rectè determinatur ab agente extrinseco determinato ad hanc producendam, & non aliam, vt patet in receptione caloris, ad quam ex parte materiæ determinatio non præcedit distincta ab applicatione agentis ad passum, etiam si materia ex se indifferens sit ad calorem, vel frigiditatem recipiendam: ergo eodem modo poterit determinari ad formam substantialem recipiendam ab agente extrinseco seclusa alia determinatione, quæ intrinsecè se teneat ex parte materiæ.

12 Obicies: Ignis ex se sufficiens est vt determinet Deū, vt cum illo concurrat ad formam ignis producendam, & vt determinet materiam ad eandem recipiendam: ergo etiam si adsint dispositiones, tota determinatio ad formam producendam ab igne procedet, & non à dispositionibus: ergo adhuc in primo instanti dispositiones non influunt in formæ productionem. Respondeo: ignem ex se esse sufficiens determinatiuum ad productionem formæ, nihilominus quando coniungitur cum dispositionibus habentibus similem virtutem determinatiuam, in actu secundo determinationem procedere à dispositionibus, & ab igne, quæ tantum ab igne procederet, si dispositiones abessent, & tantum à dispositionibus, si dispositio abesset, ex se determinatum ad talem productionem, vt contingit in omnibus generationibus, quæ procedunt à causis vniuersalibus, & indifferentibus ad diuersas formas producendas. Quod si dispositionibus negemus hanc determinationem in præsentia formæ exigentis suam conseruationem, id facimus, quia exigentia formæ est respectu actionis terminatæ ad se ipsam, exigentia verò dispositionum respectu actionis terminatæ ad formam distinctam ab ipsis dispositionibus, exigentia verò ignis intendentis producere alium ignem, & exigentia dispositionum respectu productionis eiusdem ignis respiciunt actionem terminatam ad formam distinctam ab utroque principio exigente, & ita vtrique æquè debetur illa actio, & intuitu vtriusque dari congruit.

13 Ratio à priori, propter quam carentia dispositionum formæ oppositæ ad receptionem huius requiritur, hæc est: Ad hoc vt materia determinetur ab agente extrinseco vt recipiat hanc formam, & non illam, debet ex se supponi indifferens ad receptionem huius, vel illius, & non determinata ad formam oppositam illi, quam intendit agens: ergo debet non habere dispositiones ad formam ligni, vt in actu primo determinetur ab agente extrinseco ad recipiendam formam ignis. Antecedens probo: Determinatiuum extrinsecum non potest præualere contra intrinsecam determinationem, neque vim habere, vt subiectum intrinsecè determinatum ad hanc formam determinet ad aliam oppositam: ergo determinatio procedens ab extrinseco, debet supponere subiectum saltem indifferens, vel non determinatum ad oppositum. Consequentia est legitima, quia dispositiones ligni determinant subiectum ad formam ligni: ergo vt tale subiectum nō sit determinatum ad formam ligni debet non habere dispositiones ad illam, & ad hoc, vt subiectum habeat talem indifferentiā ad aliquam formam, debet non habere dispositiones ad aliam oppositam. Dices: quando subiectum est calidum, est determinatum ad calorem per ipsum calorem, & tamen non

supponitur negatio huius determinationis, vt agens extrinsecum illud determinet ad frigiditatem recipiendam: ergo ad hoc vt agens extrinsecum determinet recipiendam ad recipiendam formam ignis, non debet supponi negatio determinationis ad aliam formam. Respondeo: subiectum per calorem esse determinatum ad calorem in actu secundo per ipsam receptionem caloris, non verò esse intrinsecè in actu primo determinatum ad calorem per aliquod, quod calorem præcedat intrinsecè ex parte actus primi determinans subiectum ad receptionem caloris, dispositiones verò determinare subiectum ad formam intrinsecè, & per modum actus primi præcedentis ipsam formam, quæ determinatio intrinseca per modum actus primi præualet contra determinationem extrinsecā per modum actus primi, & ita non potest ab hac determinatio in actu secundo, quæ est formæ productio procedere, non quia impeditur per determinationem in actu secundo ad oppositam formam, quia est informatio formæ contrariæ, quæ expelleretur per aliam aduenientem, sed quia impeditur determinatione intrinseca per modum actus primi ad formam oppositam, hoc est dispositionibus exigentibus formam contrariam.

Ex his concludo dispositiones esse priores ad formam producendam, in quam naturaliter influunt, ex eo quod intuitu illarum Deus formam producit, quod genus causæ ad causam efficientem reduci solet, dicitur autem concurrere in genere causæ materialis improprie, quia influxus iste oritur ab illis quatenus materiam afficiunt. Sunt etiam in hoc primo instanti mediæ priores formæ, quatenus in illo expellant dispositiones contrarias, & causant illarum carentiam prærequisitam ad formæ introductionem, quæ carentia dicitur prior formæ, quatenus ad illam prærequiritur non proprie, & posituè, quia negatio non potest habere prioritatem, seu influxum posituum, in formam, sed tantum negatiuè, quatenus ablatio impedimenti, quo non ablato forma non poneretur. Hunc influxum remotum præstant dispositiones in genere causæ formalis, in quo alias expellant, medio tamen influxu negatiuo, seu non impedimento: quod si ad aliquod genus causæ, ad materiale rectè reducitur, quia materia est, quæ in ordine ad suam causalitatem expedita intelligitur per illam carentiam dispositionum.

15 In secundo instanti conseruationis dispositiones immediate non influunt in formam, vt supra dixi, neque mediæ, quia etiam si in hoc secundo instanti forma dependet, sicut in primo à negatione dispositionum ad formam contrariam, quæ à propriis dispositionibus in primo instanti processit, cum hæc negatio non dependeat in conseruari à propriis dispositionibus, non possunt mediæ illa dispositiones influere, quia causa remota tantum influat mediæ proxima, dum hæc ab illa dependet, vt dicebam. *Physic. Cont. 6. Punct. 1.* Addo in secundo instanti conseruationis non dependere formam à carentia dispositionum ad aliam formam, quia in primo tantum dependebat vt subiectum esse determinabile ab agente extrinseco ad formam recipiendam, in instanti verò conseruationis non requiritur determinatio ab agente extrinseco procedens, quia ipsa forma exigens suam conseruationem exigit recipi in materia in mensura, in qua exigit conseruari.

16 Obicies: Forma non dependet in conseruari à propriis dispositionibus, neque à carentia dispositionum ad aliam formam: ergo etiam si materia priuaretur suis dispositionibus & informaretur dispositionibus formæ contrariæ, si hæc non produceretur perseveraret in materia sic affecta. Facile esset consequentiam negare in doctrina Patris. Soar. & Hurtadi, qui etsi nobiscum supra negent formam dependere in conseruari à suis dispositionibus à priori, quod nos hucusque propugnauimus, affirmant dependere in conseruari ab illis à posteriori, & ita non posse sine illis subsistere, sicut multi de materia prima respectu formæ censent: verum tamen ego consequentiam concedo, quia dependentiam hanc à posteriori, de qua disputauit libro secundo Physicorum, Controversia secunda, Puncto septimo, difficile concipio, & quia consequens verum esse existimo, & de facto contingere quando materia minor minima requisita ad formam viuentis habet omnes dispositiones in illa requisitas ad formam viuentis introducendam, quæ non introducitur, donec sit disposita tota materia, quam requirit viuens, in quo casu forma seminis, vel embryonis remanet in illa parte



parte materiae dispositae ad formam, & carentis dispositionibus illius formae, quam tunc retinet, alias tunc materia existeret absque omni forma.

## CONTROVERSIA II.

### De generatione substantiali.

**N**OMEN generationis tam accidentalem, quam alterationem vocamus, & substantialem, quae nomen generationis sibi arrogat, in tota sua latitudine sumptum comprehendit. In hac Controversia tantum de generatione substantiali, quae simpliciter generatio dicitur, sermo instituitur.

#### PUNCTUM PRIMUM.

##### Quid sit generatio?

- 1 Philosophi, quos retuli libr. 1. Physic. Controuers. 3. Punct. 4. asserentes formas quasi sopitas perpetuo materiae inesse, dicebant nullam dari generationem substantialem, verumtamen cum ibi probauerim nouas produci formas substantiales, & has materiae praexistenti vniri media vnione superaddita, quod euici Controuersia 4. Puncto 1. & formas has, & vnionem non creari, sed educi ex potentia materiae, de quo Controuersia 3. Puncto 4. manifestè concluditur dari generationem substantialem, ex vi cuius producitur saltem vnionis modus, & resultat totum compositum genitum, quod ostendunt omnes experientiae, atque rationes, quibus probauimus dari formas substantiales. Neque in hac re demonstranda amplius oportet immorari.
- 2 Aristot. 3. Physic. cap. 1. text. 14. ita generationem describit: *Generatio est via ad naturam.* & lib. 8. cap. 7. text. 62. *Generatio est mutatio de non ente ad ens.* & lib. 1. de generat. c. 4. text. 13. haec habet: *im verò totum mutatur, & nihil sensibile ut eiusdem subiectum remanet.* Ex quibus definitionibus hanc ad mentem Philosophi Theologi compingunt: *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili permanente ut subiecto eodem.* Qui dicebant 1. Physic. Controuers. 1. Generationem essentialiter dicere formaliter vt generationem priuationem, vt terminum à quo, asserunt generationem essentialiter definiri per mutationem, & hanc esse de illius essentia, ita vt si in eodem instanti temporis creetur materia, & in eodè producatur forma, & vnio dependentes à materia, harum productio non sit generatio, sedeductio, & totum non genitum, sedeductum denominetur. Hi duplici ratione possunt suam explicare sententiam, possunt enim asserere hanc physicam actionem, quae modò est mutatio, & dicitur generatio equi, secundum suam intrinsecam entitatem connotare priuationem formae praecedentem in materia, ita vt si priuatio illa non praecessisset, non haec numero actio, quae essentialiter est generatio subsisteret, sed alia loco illius, quae non esset generatio, sedeductio. Aliòve modo possunt asserere hanc eandem specie, & numero actionem, ex vi cuius forma equi modo gignitur, cum praecessit priuatio futuram esse, etiam si priuatio in materia non praecessisset, non tamen dicendam esse generationem, quia generatio non solum dicit intrinsecam entitatem actionis physicae, sed addit supra hanc priuationem praexistentem in subiecto, ita vt eademmet actio, quae in prima mundi generatione producta fuit forma elementum in eodem instanti, in quo materia fuit creata, & deductio dicitur, & non generatio ex defectu priuationis praexistens, posset esse generatio, si priuatio formae praecessisset in materia prius tempore creata.
- 3 Prior dicendi modus grauiter reprehendendus est, quàm posterior, quia sine fundamento, & contra rationem bonae Philosophiae dicitur Physicam entitatem actionis intrinsecè esse connexam cum priuatione termini in subiecto praexistenti, quod ex duplici capite repugnantiam inuoluit. Primò, quia priuatio est ens negatiuum, quod est non esse ens, & propriè non esse: ergo non potest ab illa dependere entitas positiua, & physica actionis, quae enim connexio

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

inter esse, & non esse, seu inter positium, & priuationem esse potest: Dices formam positium assensus connecti cum negatione dissensus, ita vt sine hac iuxta communioem sententiam illa non possit subsistere, ac proinde rectè posse rem positium connecti cum ente negatiuo, seu cum negatione. Non ad rem, quia assensus dicit negationem dissensus, quatenus opponitur cum habitu illius negationis, videlicet cum dissensu, cum quo in eodem subiecto coniungi nequit, & cum non possit in subiecto in instanti reali temporis non coniungi, vel cum dissensu, vel cum illius negatione, eo ipso quod assensus non coniungatur cum dissensu, cum illius negatione coniungendus est, & hac tantum ratione possunt entia positiua esse connexa cum negationibus, quatenus oppositionem habent cum habitibus illarum negationum. Ex hac doctrina vires refumit ratio nostra. Hae actio physica nullam oppositionem habet cum termino vt existente, neque vt praexistente: ergo nullam connexionem habet cum illius negatione: oppositionem non habere cum termino vt existente perspicuum est, cum potius oppositionem habeat essentialem cum illo, non illam habere cum termino vt praexistente ex eo solum efficaciter esset probandum, quod nullum caput huius oppositionis excogitari potest, id tamen positiue probò, & clarè ostendo physicam entitatem actionis, quae generatio dicitur, nullam connexionem habere cum priuatione praexistente. Actio physica actionis eadem est in primo instanti, in quo dicitur productio, & in secundo, in quo conseruatio appellatur, sed in instanti, in quo dicitur conseruatio, existit, quin immediatè antea praecessisset priuatio termini: ergo in instanti, in quo dicitur prima productio posset existere, etiam immediatè antea non praecessisset priuatio termini: ergo in illo instanti connexionem non habet cum priuatione immediatè antea praexistente. Secundò impugnat hanc connexionem, quia etiam nisi inter priuationem, & positium admittatur connexio, haec vanè fingitur respectu termini non existentis, sed iam praeteriti, quia id quod praeterit in ordine ad id, quod modo est, perinde se habet, ac si nunquam fuisset.

Posterior modus defendendi generationem esse essentialiter mutationem minus à veritate aberrat, neque potest rationibus philosophicis impugnari, quia tantum differt à sententia, quae defendit generationem non esse mutationem in modo loquendi, quia de rebus physicis secundum se sumptis idem iudicium fertur, etsi dicatur generationem non esse essentialiter mutationem, siue oppositum defendatur, dum semel concedatur hanc physicam actionem, quae generatio dicitur accidentaliter esse mutationem, & potuisse eandem non habere hanc mutationis denominationem, etsi tunc simul cum illa ratio generationis illi defuisset. Impugnandus tamen est hic dicendi modus, quia rationem formalem vltimò constituentem generationem constituit in ratione quadam extrinseca actioni superaddita, quae ab illa potuit deficere, & iuxta illum nulla datur actio, quae intrinsecè sit generatio, cum omni actioni ratio mutationis, quam essentialiter dicit generatio, accidentaliter contingat. Quod si haec tantum ad modum loquendi pertineant, tamen absurdè dicuntur, quia totius scholae consensus actiones generatiuas agnoscit, quae intrinsecè, & per suas entitates physicas, & per praedicata intrinseca ipsarum actionum generationes constituuntur. Secundò impugnat hunc dicendi modum. Productio Verbi diuini essentialiter est generatio, vt docet fides, & tamen non est mutatio: ergo de ratione generationis non est mutatio.

Respondent nonnulli: Generationem Verbi non esse mutationem, quia repugnat in diuinis dari mutationem, quae in creatis non repugnat. Fateor in diuinis mutationem repugnare, & implicare processionem Verbi esse mutationem, sed ex hoc capite argumentum desumo. Quotiescumque repugnat in diuinis, seu in alio quocumque formalitas aliqua repugnat illud quod formaliter constituitur per talem formalitatem: ergo si generatio constitueretur formaliter per mutationem eo ipso quod repugnaret processionem Verbi ratio mutationis, eidem repugnaret ratio generationis: sed non repugnat ratio generationis tali processionem, potius illam dicit essentialiter, & illi repugnat ratio mutationis: ergo generatio formaliter, vt generatio est non dicit mutationem. Respondent alij mutationem esse de conceptu essentiali generationis create specificè sumptae, non verò de ratione generationis abstractae à create, & increata. Contrà: de conceptu generationis

Lib. 3 abstracta